
SIGILLUM · COLLEGII · COLUMBIAE · NOVI · EBORACI
IN LUMINE TUO VIDEBIMUS LUMEN



# COMMENTATIO CRITICO-LITERARIA DE CLAVDII PTOLEMAEI GEOGRAPHIA, EIVSQVE CODICIBVS TAM MANV-SCRIPTIS QVAM TYPIS EXPRESSIS CONSCRIPTA

A

GEORGIO MARTINO RAIDELIO
V. D. M.

A. R. S. CIↃ IↃ CC XXXVII.

NORIMBERGAE
Typis et ſumtibus Haeredum Felseckerianorum.

ILLVSTRISSIMO
ET EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
# CAROLO
DE
# PERTVSATI
COMITI CASTELLI FERREI
ET REL.
SACRAE CAES. ET CATHOL.
MAIESTATIS REGENTI IN SV-
PREMO HISPANICARVM RERVM
PRO STATV MEDIOLANENSI
CONSILIO.

PERILLVSTRI ET GENERO-
SISSIMO DOMINO
DOMINO
# HIERONYMO
# GVILIELMO EBNER
AB ESCHENBACH
DOMINO IN ARTELSHOFEN, GVTTENBVRG
GRVNREVTH ET REL.
SACRAE CAEES. ET CATHOL. MAIE-
STAT. CONSILIARIO ACTVALI, CORONAE ET INSIGNIVM
IMPERIALIVM CVSTODI. PERILLVSTRIS AC S. R. I. LIBERAE REI-
PVBL. NORIMBERGENSIS TRIVMVIRO, ECCLESIARVM ET SCHO-
LARVM EPHORO, VNIVERSITATIS ALTDORFINAE CVRATORI
PRIMARIO CANCELLARIAE AC CVRIAE TVTELARIS PRAE-
SIDI SPLENDIDISSIMO
DOMINIS ET MAECENATIBVS MEIS
LONGE GRATIOSIS
SALVTEM ET FELICITATEM.







*Ibellum* VOBIS *offero*, MAECENATES PERQVAM GRATIOSI! *mole exiguum; non, qui dignus iudicetur* VESTRIS *Perſonis, ſed qui omne, quod in ſe habet, utilitatis, iucunditatisue, unice* VOBIS *reddat, meamque ſimul in* VOS *Pietatem teſtatam faciat. Quos enim huic libello, de principe Mathematicorum nonnulla tradenti, alios quaere-*

*rem*

*rem Patronos, quam eos, qui principem locum in republica tenent literaria, et nobilitatem cum literarum studiis iungunt: quique Philosophiae, Iuris, ac Historiarum non solum instructi cognitione exquisitissima, sed et Scriptores maximam partem orientis, ac occidentis, sua lingua loquentes, intelligunt. Imo, raro in Viris, tanto natalium splendore conspicuis, exemplo,* TV, ILLVSTRISSME DOMINE COMES, *Ebraicae linguae peritia, quam maxime abundas. Quod si penitius* VESTRAS VIRTVTES, *merita in rem publicam, dignitates ac praerogatiuas, intueor, tam multa, tamque praeclara in* VOS *laudum genera conuenire uideo, ut sit difficile iudicium,* VOS VETROSQVE, MAECENATES GRATIOSI, *in eo honorum gradu collocatos uideo, qui bene ac praeclare merendi uberrimam praebet occasionem.* AVGVSTISIMVS ROMANORVM IMPERATOR, *CAROLVS VI. ORBIS CHRISTIANI PACATOR, utrumque* VESTRVM *dignum iudicauit, quem aut summis praeficeret Muniis, aut magnis bonorum titulis ornaret. Nihilo tamen minus amore,*

*re,*

*re, et inusitata plane Humanitate, eos, qui in literis uersantur, ac in opinione florent, hucusque estis complexi; et consiliis, benignitate, communicatisque rarioribus Codicibus, Diplomatibus, Sigillis, Numismatibus, Gemmis, ac Toreumatibus, benignissime adiuuistis. Testes inter alios prouoco,* Comites, Duellios, Contios, Mezzabarbas, auctoresque memorabilium Viennensium; *qui in* TE, ILLVSTRISSIME COMES, *laudibus ornando, certarunt. Et quis nescit, praeter nostrates,* Eccardos, Ludewigios, Meieros, Moseros, Treueros, et alios, *multis documentis declarasse, quanti* TE, PERILLVSTRIS EBNERE, *faciant, quantamque in TE pietatem habuerint. Quare nullum est dubium, fore, ut duratione certaturis eorum ingenii monumentis cum spatio aeternitatis, nulla aetas de* VESTRIS *sileat uirtutibus, aut contiescat. Quod si praeterea* Nobilitatem ueterrimam *gentium* VESTRARVM, *fumosis imaginibus clararum, aut* arma gentilitia, *fortitudinem Maiorum declarantia, aut denique* donationes, *uariis Monasteriis ac*

*Tem-*

*Templis ab iis traditas, confidero; nil nisi eximia in iis deprehendisse mihi uideor. Historiarum monumenta euoluenti facile patebit, inde a Seculo XII. PERTVSATORVM EBNERORVMque inclutum nomen inclaruisse; indeque ab eo tempore, pene haud interrupta serie, multos ad rem publicam administrandam fuisse adhibitos: ILLOS quidem in ciuitate Mediolanensi, HOS uero in urbe Norimbergensi. Etsi uero in memorando urbis* Mediolanensis *excidio, An. M C LXII. facto, et a BVRCHARDO quodam* Notario, *in* Epistola ad NICOLAVM *Abbatem Sigebergensem, aliisque descripto, plurimi ciues, opibus et auctoritate prae aliis ualentes, interque eos DOMINI PERTVSATI, qui iam tunc in ista ciuitate habitauerant, se Alexandriam receperint; hi tamen paulo post, pace rursus concessa, in ciuitatem redierunt, eamque instaurare nouis aedificiis, et amplificare, allaborarunt. Nec minus gens EBNERIA An. M CV. uastata, ob fidem* HENRICO IV. IMPERATORI ROMANORVM, *seruatam,* Norimberga, *discessit; sed anno il-*

*illius Seculi quadrageſimo in urbem rediit, eamque, cum aliis antiquiſſimis familiis, inſtaurandam, et nouis aedificiis ornandam, curauit. Deficientibus autem ſumtibus, ad aedificandum neceſſariis, ciuibus eos ſuppeditauit; reſeruato ſaltem, in compenſationem beneficii, cenſu, quotannis ſibi ſoluendo. Etiam* arma *VESTRA* gentilitia, *MAECENATES OPTIMI,* VEXILLVM *medio aeuo conſuetum oſtendentia, perantiquam gentium* VESTRARVM *et Nobilitatis originem, indicare mihi uidentur; in primis, cum omni ornatu et multiplicatione figurarum deſtituantur. Seruat eadem inſignia hodie* Mediolanum, Alexandria, Auguſta Vindelicorum *et* Norimberga, *imo et* Ioppe, *in diuerſis templis, aris, monumentis ſepulcralibus, et tabulis, ex medio aeuo ſuperſtitibus: ut quiuis non poſſit non Antiquitatis fidem in eis agnoſcere.* TVA *potiſſimum,* ILLVSTRISSIME COMES, *inſignia, fortitudinis maioribus probatae documentum exhibent, aut* lapi-

dis ictu, *aut* teli iactu pertusum uexillum *ostendentia; adeo, ut ex maioribus* TVIS *nonnullos aduerso pectore cum hostibus pugnasse, et non nisi re fortissime gesta, cum magno uitae periculo, ex bello rediisse, coniiciam. Studium Maiorum* VESTRORVM, MAECENATES GRATIOSI, *de* locis et personis Sacris *bene merendi, lubens iam praetereo; alias multa mihi commemoranda essent, de* Sacellis aliisque domibus sacris, *Munificentia et Pietate* PERTVSATORVM *conditis; itemque de* eo, *quod Norimbergae in honorem D. Virginis* Clarae, *a* FRIDERICO et EBERHARDO EBNERIS *fratribus, exstructum fuit. Non tamen possum, quin breuibus attingam amplissimas illas instructissimasque* BIBLIOTHECAS, *quas magno studio magnisque sumtibus collegistis, et curiosis Historiarum ac rei literariae scrutatoribus, publico hucusque usui esse uoluistis. Tantum quoque desiderium, possidendi non modo, sed euoluendi, imo deuo-*

*randi*

randi optimae notae libros animum TVVM cepit, ILLVSTRISSIME COMES, ut non Viennae ſolum eiusmodi librorum Theſaurum curares conquirendum, ſed et Mediolani alium ſeruari iuſſeris; praeter Numophylacium, quo numiſmata rariora, et antiquioris et recentioris aeui, non dicam aſſeruata, ſed ab interitu uindicata, eruditorumque uſui ſacrata habentur: ut adeo iure meritoque eruditi, delectum et numerum manuſcriptorum Codicum ac Numiſmatum, mirentur, et publice priuatimque collaudent. Nec minus TV, PERILLVSTRIS EBNERE, ex innato et haereditario in literarum ſtudia amore, BIBLIOTHECAM TVAM rariorum librorum inprimis manuſcriptorum et diplomatum, haud exigua copia amplificaſti: inter quos eminet Codex Graecus Noui Foederis membranaceus, magnis ſumtibus olim exaratus, et hactenus in Europa nondum uiſus;

*hunc ut cum notis* TVIS *criticis et obseruatis illius uariantibus lectionibus, pio et erudito orbi, uti constituisti, communices, est quod omnes mecum optant. Quare, una cum* optimo Fratre TVO, PERILLVSTRI *ac* GENEROSISSIMO DOMINO IOHANNE CAROLO EBNERO, ab Eschenbach, rerum Prouincialium in Patria Praefecto *meritissimo, qui instructissimum*, Iconum *aeri incisarum, et* Numorum *recentioris aeui apparatum, magno studio sumtibusque collectum, possidet, testimonium perhibes, literarum studia a Viris Nobilitate claris, non modo non sperni, sed potius adiuuari. Hoc ipsum quoque Opusculum* TVA, PERILLVSTRIS EBNERE, *singulari humanitate non parum creuit; utpote qui, negotia Reipublicae causa* Viennae *tractans, perlustrandis tamen Bibliothecis, quod a negotiis superepere-*

*pererat publicis, tempus, impendisti, euolutisque libris rarioribus, quae scopo meo inseruiebant, perbenigne mecum communicasti: imo, quod maximum,* ILLVSTRISSIMVM COMITEM PERTVSATI, *eiusmodi rariorum Librorum copia abundantem, mihi conciliasti. Quis igitur mihi uitio uertat, si* VOBIS, MAECENATES OPTIMI MAXIMIQVE, *praesentem libellum, qua decet animi submissione, offero: qui ex VESTRIS* Bibliothecis *enatus, VESTROS* Codices *describit, aut leui saltem penicillo adumbrat. Quod si aliqua saltem ex parte VESTRAE de me expectationi me satisfecisse iudicetis, multum me profecisse putabo, eoque enitar, ut VESTRAM Gratiam Patrociniumque et in posterum demereri possim. DEVS VOS seruet,* Statores reipublicae literariae, *et, omni rerum optandarum copia cumulatos, quam*

*diu-*

*diutissime florere iubeat: in Gentium VESTRARVM Decus et Ornamentum, reique ciuilis et literariae emolumentum. Valete, et fauore VESTRO complecti ne dedignemini*

ILLVSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME DOMINE COMES,

PERILLVSTRIS ET GENEROSISSIME DOMINE,


VESTRORVM Nominum Splendidissimorum

Altorfii Noricorvm XIII. Cal. Nouemb. A. Æ. V. cIↃ IↃ CCXXXVI.

Cultorem atque Clientem humillimum obseruantissimumque

Georgium Martinum Raidelium.



# SYLLABVS

## ARGVMENTORVM HVIVS OPVSCVLI

§. 6. Codices *tres* FLORENTINI, et *unicus* BONONIENSIS

7. *quinque* ROMANI

8. *unicus* COISLINIANVS

9. LVGDVNENSIS *unicus*, et *tres* impressi cum MSS. collati

10. *decem* in ANGLIAE *Bibliothecis* extantes

11. *Impressus* LIPSIENSIS *Bibliothecae Senatoriae*, cum MSS. ROMANIS collatus, recensentur.

CAP. III. De CODICIBVS MSS. LATINIS.

§. 1. a IACOBO ANGELO, et EMANVELE CHRYSOLORA *Geographia* PTOLEMAEI in *latinam linguam* fuit translata.

2. *quis fuerit* IACOBVS ANGELVS inquiritur.

3. contra accusatores *defenditur*.

4. Codex NORIMBERGENSIS, ubi simul mentio fit membranae perantiquae, Norimbergae asseruatae

5. TREVIRENSIS, PATAVINVS, VENETVS,

6. *tres* in ANGLIAE *Bibliothecis*, et *duo* in LVGDVNENSI, delitescentes, describuntur.

CAP. IV. De *Codice* splendididissimo EBNERIANO.

§. 1. *Externa* Codicis describuntur.

2. *Insignia*, in primo illius folio conspicua

3. *Scriptura*, enarrantur.

4. *Dedicationis* uerba initialia explicantur, et uindicantur.

5. Ipsa *dedicatia* et *textus* perlustratur.

§. 6. Ta-



§. 18. Ba-

❧ ❧ ❧

§. 18. BASILEENSIBVS MDLXXXII. MDLXXXIV. VENETA MDXCVI. et COLONIENSI MDXCVII.

19. ROMANA MDXC. fictitia.

CAP. VIII De Editionibus *Latinis* Seculo XVII. excusis.

§. 1. ordinem scribendi indicat.

2. quare Sec. XVII. pene neglectus fuerit hic liber disquiritur

3. binae editiones, ex *Catalogo Lugdunensis Bibliothecae*, allegantur: quarum una ARNHEMII MDCVII. altera BONONIAE MDCVIII. excusa putatur.

CAP. IX. De aliis *Geographiae Ptol.* VERSIONIBVS.

§. 1. *Italica*, PETRI ANDREAE MATTHIOLI MDXLVIII MDLV. MDLXXXIV.

2. HIER. RVSCELLI MDLXI. et MDLXXIV. Venetiis excusa, et ex emendatione ROSACCII, VENETIIS MDXCIX.

3. LEONARDI CERNOTI MDXCIX et MDCXXI. impressa.

4. GALLICA ANT. VERDIERII, nondum typis exscripta. *Lusitanica*, *Lisabonae* MDXXXVII. excusa.

5. *Germanica* et *Persica*, putatitiis.

CAP. X. De *Commentationibus* in *Geogr.* PTOLEMAEI.

§. 1. et 2. *Nicolai Donis*, *Io. Regiomontani*, *Io. Werneri*,

3. *Io. Stoefleri*, *Iac. Ziegleri*,

4. *Serueti*, et aliorum Commentationes enumerantur.

§. 5, 6. *Francisci Berlinghierii* opus recensetur, et perquam egregius Codex MStus EXC. COM. PERTVSATI laudatur.


§. 7. De





L. B. S.



# L. B. S.



Eographiae Claudii Ptolemaei Historiam traditurus, nonnullis laborem superuacaneum ac inutilem suscipere uidebor, qui nil nisi studia, quibus a Iuuentute assueti, quibusque tractandis magnam uitae partem impenderunt, amant. Hi enim parui ut plurimum aestimantes rei literariae studium, iam de ambitu istius, iam uero de numero librorum, aut aliis rebus, conqueruntur. At erunt hi forte, qui nesciunt, *nihil esse tam abjectum in uniuersa literatura, quin et culturam mereatur, et cultum afferat generi humano emolumentum.* (1) Nonne enim saepius isti optarunt, fata, editiones diuersas, auctores librorum, quos emere cupiunt, noscere, ne illis mancae aut deprauatae editiones obtrudantur? Quos non alii edidere libros, in quibus ueritates, ex ipsorum opinione, nemini antea notas, quasi primi inventores, proposuerunt; quae iam a pluribus, etsi non eadem uerborum serie ac methodo, tamen mente, fuerunt pertractatae. Haec autem Historiae litterariae contemtum produnt, qui se per omnem uindicat aetatem. Nolo iam reperere rationes, quibus eruditi ad studium rei litterariae diligentius excolendum impelli debeant, ab aliis enumeratas; (2.) quae satis sunt multae, magnique momenti. Sufficiat iam dixisse, me illis impulsum, non solum partem uitae Academicae, addiscendae rei litterariae impendisse, sed et animum ad scri-

A bendum

(1.) His uerbis Eduardus Bernardus finit *Praefationem*, praefixam *Catalogo Librorum Manuscript. Angliae et Hiberniae Oxonii* 1697. in fol. excuso.

(2) M. Geo. Henr Zinckius *Primitiis suis* Halae 1719 in 8. editis, adiecit *Schediasma, de re litteraria et Bibliothecaria*, cuius Cap. I. Sect. III p 19.—30 agit, de utilitate Historiae litterariae. Carolus Arndius *Orat* habuit, *de utilitate scientiae litterariae in Theol. Catechet. et Philol.* Rostochii 1711. in 4. impress.

bendum hunc libellum applicuisse, suadente imo iubente Perillustri DN. EBNERO, cuius mandatis resistere multa ab eo in me collata beneficia non permittebant. Equidem iam aliquot abhinc annis (3.) libellum hunc typis mandare decreueram; cum uero tunc temporis iter litterarium, per aliquot Germaniae nostrae regiones, instituendi animus esset, eaque occasione uariae perlustrandae Bibliothecae, ex quibus haud parum incrementi, uti in exigua mea litterarum studia, ita inprimis in hancce opellam, redundaturum esse sperabam, non prius eam prelo mandare uolebam, quam finitum iter esset.

Reducem me ex illo, a proposito nonnihil retardarunt uaria, in quae tum distractus eram, negotia, et munus sacrum, mihi paulo post demandatum. Cum autem nonnihil temporis a functione muneris mei superesse uiderem; quae in itinere notaueram, suo loco inserui, imo plane nouum libellum conscripsi: siqui tem textus, nunc altera parte auctior, in duodecim capita distributus, comparet. Horum I.) agit de Claudio Ptolemaeo, et eius scriptis, inprimis de Geographia, II.) recenset Manuscriptos Codices Graecos, ac impressos, cum MS. collatos. III.) Codices MS. Latinos. IV.) insignem Codicem EBNERIANVM. V.) Exemplaria Graeca et Graeco-Latina impressa VI.) Editiones Latinas Seculo XV. excusas. VII) Editiones Latinas Seculi XVI. VIII) easdem Seculi XVII. editiones. IX.) enumerat Versiones Italicam, Gallicam, Germanicam, et Lusitanicam. X.) Commentatores in Ptolemaei Geographiam, interque eos *Berlinghierum*, cuius perquam egregium Codicem MS. possidet *Illustriss. et Excellentiss. Comes* PERTUSATTI. XI) tradit insignes Variationes Tabularum huius Libri. XII.) Editiones promissas breviter recenset. Videbis in hac Diatribe multa, a diligentissimo et eruditissimo Fabricio, cuius manes pie ueneror, et aliis, minus recte dicta, aut praetermissa, modeste corrigi et suppleri; ut adeo, quantum fieri potuit, Tibi perfecta tradatur huius Libri Historia. Vtere igitur B. L. hacce oppella; et, si qua in ea occurrant memoratu digna, beneuolentiae Patronorum ac Praeceptorum, qui, communicando libros rariores, opusculum hoc adjuvarunt, ea tribue; minus autem recte dicta pro humanitate Tua corrige, et emenda. Vale.

(3.) Vid. Cl. I. F. BEYSCLAGII *Syllogen, uariorum Opusculorum* T. I. p. 222. et *Nova Literar. Germ. Lips.* 1727. p. 728.

CA-

# CAPVT I.

## DE CLAVDIO PTOLEMAEO, EIVSQVE SCRIPTIS, INPRIMIS GEOGRAPHIA.

§ 1.

De *Claudii Ptolemaei Geographia* quaedam mihi dicturo, ante omnia necesse esset, nonnulla de auctore ipso in medium proferre: ast cum praeter alios a) celeberrimus I. A. Fabricivs, cuius obitum eruditus orbis luget, fusius de Ptolemaeo, euiusque scriptis, in Biblioth. Graecae L. IV. Cap. XIV. pag. 411—466. egerit, ea saltem proponam, quae a Fabricio sunt praetermissa.

§. 2.

Claudius Ptolemaeus, Vir ingenio, industria, eruditione admirandus, Pelusio b) ortus esse creditur; quam urbem nonnulli Damiatam, alii uero Tenezen hodie dictam esse, coniiciunt. Hinc cognomen Pelusiensis ei a Patria, Alexandrini autem a loco habitationis tribuitur; utroque autem a tot aliis Ptolemaeis distinguitur. c.) Amore Matheseos capiebatur, cuius addiscendae causa se conferebat Alexandriam; forte etiam plures Aegypti et Graeciae urbes, frequenti hominum eruditorum

 con-

(a) Gesnerum nempe in *Biblioth Vniversali* p. 174—176. Koenigium in *Bibl. Vet. et Nova* p. 667. Ricciolum in *Chronico*, praefixo eius Almagesto novo; Zeilerum *de Historicis* p. 124. Maginum in *Praefat*, praemissa Commentariis in Geographiam Ptolemaei, Boissardum T. III. p. 310. C. A. Z. in *Iconibus* p. 136. 137. Doppelmayerum in *Hist. de Mathematicis et Artificibus Norimbergens.* p. 12. seq. Christ. Wolfium in *Hist. Scriptorum Mathemat.* p. 465.

b) Teste inprimis Haly, Commentatore eius *in L. II. de Iudiciis* Bullialdus, referente Gassendo, in *Vita Peirescii* L. V. p. 332. edit. mendosiss. Quedlinburg. de An. 1706. in 8vo. putauit, Ptolemaeum natum fuisse in urbe Ptolemaide, quae Arabice *Phelud* dicatur, indeque *Pelusiensem*, siue ut in nonnullis MStis legitur, *Pheludensem*, uocari.

c) quorum Catalogum dederunt Gesnerus l. c. et Frisius in *Supplem.* I. A. Fabricius l. c. §. 15. p. 453. sq Hic quoque Isidori et aliorum notauit errores, qui Ptolemaeum nostrum ex Aegypti regibus fuisse, arbitrantur. Errauit etiam Thomasinus, in Indice, *Biblioth. MStorum Patauinae* subiuncto, eum uocans *Ptolemaeum Almagestum*.

concursu celebres, adiit, et ex ore Virorum eruditorum pependit. Hinc in scriptis eius mentio saepe facta Marini Tyrii, Hipparchi, Theodori Samii, aliorumque, ex quorum libris uel doctrina profecit. Cum uero Ptolemaeus rerum Mathematicarum et Philosophicarum sibi comparasset scientiam, Canopum d) tandem se contulit, inque eius urbis Pteris e) in illa aedium parte, quae Serapidi f) consecrata erat, per 40. annos commoratus g) aetatis anno septuagesimo et octavo diem clausit nouissimum. h.) Quid uoce Pteris Olympiodoro indicetur, haud satis cuiuis patet, nisi uocem origine Graecam esse sciat. Apud Graecos vox πτερά, a singu'ari πτερὸν „designabat, quicquid summum aut extremum est in re aliqua, item muros pinnatos, uel columnata aedis lapideae latera. i) Cum uero STRABO Lib. XVII. p. 800. testetur, in urbe Canopo fuisse templum Serapidi consecratum, quae apud Graecos et Aegyptios in locis editioribus exstruere, iisque porticus, columnis marmoreis circumclusos, addere moris erat; inde facile colligi potest, per πτερά indigitari locum editiorem, templo Serapidis contiguum, in quo Ptolemaeus obseruationibus uacauit Astronomicis; quas etiam in columnis illic positis, teste OLYMPIODORO l. c descripsit. Vnde quoque tanta Ptolemaeus Serapidis amore capiebatur, ut omnia opera sua literis mandata isti dedicauerit numini; cuius dedicationis Exemplar fuit olim inter MSta doctissimi Angli, EDUARDI BERNARDI: Conf. *Catal. MStorum Angliae et Hiberniae* T. II. P. I. n. 7597.

§. 3. Tem-

d) de urbe Canopo et ostio Canopico uid. SALMASIUM in *Exercitatt.* P*linian.* p. 476. sq.

e) teste OLYMPIODORO, Seculi V. scriptore, in *Phaedonem Platonis*, quem citat MENAGIUS ad *Laert.* l. 109.

f) in urbe Canopo templum fuisse Serapidis, ait STRABO L. XVII. p. 801. Ptolemaeum uero in aede huic templo contigua habitasse, BVLIALDUS probauit, qui Tractatui *Ptolemaei*, de *iudicandi facultate*, Paris. 1663. et 1681. in 4. edito, Inscriptionem, Canobi, in templo Serapidis, repertam, de inuentis eius Astronomicis, adiecit, desumtam ex codice MSto Florentino 300. annorum, qui ad Demetrium Cydonium olim pertinuit. Vt iam nihil dicam de fide THEODORI MELITONIOTAE, cui Bulialdus multum quoque tribuit.

g) OLYMPIODORUS et *Bulialdus* ll. cc.

h) LUC GAURICUS, in *Praef.* ad *Almagestum Ptolemaei* Basil. 1551. excusum, qui ex Haly commentariis id hausit.

i) SALMASIUS l. c p. 573. et 1218.

§. 3.

Tempus, quo floruit PTOLEMAEUS, non uno ab omnibus determinatur modo. Nonnulli k) putant, eum sub initium seculi secundi floruisse; complures uero l) et quidem firmioribus innixi rationibus, superuixisse eum huius Seculi medium arbitrantur: siquidem ipse temporibus non solum Hadriani, sed et Antonini adhuc in uiuis fuit. Imo saepius laudatus FABRICIUS l. c. p. 412. ex Ptolemaei Canone refert, Antoniuum 23. annosregnasse; ex quo sane patet, eum superstitem fuisse Antonino, et forte anno aeraeChristianae 162. uel 163. in uiuis esse desiisse. Hinc Celeb. SCHURZFLEISCHIUS in *Diss. Academ.* p. 45. non sine causa contigisse putat, quod *Ptolemaeum fortuna coniunxerit cum temporibus Antonini*; cum huius amor in studia Philosophica ex scriptis nota sit, et ab omnibus depraedicetur.

§. 4.

Quamuis autem annus, quo obiit Ptolomaeus, adhuc sit incertus; hoc tamen certius est, eum uariis suis scriptis magnam sibi conciliasse nominis celebritatem. Superuacuum iam foret, singula recensere, cum id copiose satis fecit memoratus *Fabricius* l. c. cui siquis addat *Gesnerum* in *Biblioth. Vniuersali*, *Pope Blount* in Censura *celebriorum auctorum* p. 156. edit. Genev. de An. 1694. et BULIALDUM *in Astronomia Philolaica*, sufficienter de meritis huius uiri in uniuersam Mathesin edocebitur. Singula enim scripta profundam ostendunt eruditionem; libro autem, qui Geographia inscribitur, de uniuerso orbe erudito optime meruit; de quo nunc plura in medium proferam.

§. 5.

Inscribitur is Graece *περι γεογραφικης υφηγησεως*, quae uerba plurimi latine transtulerunt *Geographiam*, siue *Geographicam descriptionem*; Iacobus autem Angelus *Cosmographiam.* Apud Alexandriam, Aegypti ciuitatem, et Canopo uicinam, editus hic liber Lucae Gaurico m) uidetur;

 cui

k) inter quos prae ceteris memorandus L. GAURICUS, in *Praef. cit.* asserens, Ptolemaeum diem obiisse anno salutis 147. cum annum ageret aetatis octauum supra septuagesimum.

l) FABRICIUS l. c.

m) in Praef. saepius cit.

cui ſententiae ſubſcribit quoque BECMANNUS *in Praecogn. Geograph.* p. 2. Laudatur ab his, culpatur ab illis. Eorum, qui auctoritatem Ptolemaei in Geographicis labefactare conati ſunt, unum ſaltem allegabo, eumque recentiſſimum, *Chriſtophorum Cellarium*, in Praefatione notitiae orbis antiqui praemiſſa ſic loquentem: *Diffuſus Cl. Ptolemaeus, adeoque ſuſpectus ſaepe. Mirari enim ſubit, unde Aegyptius homo diſiunctiſſimarum rerum tam certam, ut prodit, notitiam habuerit. Aeque enim in remotiſſimis, quo vix dum homines adierant, copioſus eſt, nec dubius, ut in propinquis ac notiſſimis.* Quamuis autem magna ſint Cellarii in Geographiam antiquam, imo in uniuerſum Hiſtoriam, merita; attamen eius uerbis per omnia aſſenſum haud poſſum praebere. Primo enim is celebritatem portus Alexandrini, quae tempore Ptolemaei fuit maxima n) non attendiſſe uidetur: Non enim ſolum Romanorum, ſed et aliarum gentium naues eodem concurrerunt, et non niſi frumento aut aliis mercibus onuſtae receſſerunt. Cum iis uarii homines, qui remotiſſimas peragrarunt regiones, aduenerunt, ex quorum relatione Ptolemaeus, quae ad notitiam Geographicam faciebant, percipere, et applicata Matheſi in uerum locorum ſitum inquirere potuit. Deinde et id attentionem meretur, quod Ptolemaeus adhibuerit relictas ab Hipparcho obſeruationes eleuationis Poli plurium Ciuitatum, ceu ipſe teſtatur L. 1. c. 4. Quod ſi uero alii porro inſiſtant, Ptolemaeum *probabilem ſaltem* locorum ſitum pro uero poſuiſſe, ii revocabunt ſibi in memoriam deſideria hodiernorum Mathematicorum, qui, crebrioribus quamuis obſeruationibus, per tot ſeculorum decurſum inſtitutis, pauciſſimorum tamen locorum uerum ſitum indicari poſſe conqueruntur; adeoque non majorem in Ptolemaeo requirent induſtriam, quam quae ab homine, pro ratione illorum temporum, potuit adhiberi. o) Denique, et hoc notandum, Geographiam Ptolemaei a librariis, et aliis, qui eam ante inuentam Typographiam deſcripſerunt, mirum in modum fuiſſe deprauatam; quod iam Deſid. Eraſmus, in Praef. ad Edit. Geographiae Graec. Baſil. 1533. agnouit, dicens: *Vtinam et numerorum notas, ſicut a Ptolemaeo tradi-*

n) uid. *Hirtius*, uel quisquis auctor ſit deſcriptionis belli Alexandrini.

o) uid. S. R. *Hauberi Epit. Hiſt. Tab. Geograph.* p. 55. not. et 126 not. I. qui in poſteriori loco erraſſe mihi uidetur, dicans uix duorum locorum obſeruationes Ptolemaeo innotuiſſe: cum aliud teſtetur ipſe Ptol. L. I. c. 4. Geographiae.

*traditae sunt, incorruptas haberemus, praesertim Libro octauo, etc.* Si igitur a Mathematicis Graecae, et Latinae Linguae probe gnaris, tantum operae impenderetur Ptolemaeo, quantum a Casaubano et aliis Philologis emendando Straboni; emendatior non solum compareret hodie Ptolemaeus, sed in addiscenda quoque Geographia antiqua cum Strabone haud parum iuuaret huius rei studiosos. Qui enim corrigendo aut uertendo hucusque Ptolemaeo operam suam locarunt, uel non sufficientem Graecae linguae habuerunt cognitionem, uel plane rudes fuere in Mathesi, adeoque haud ex uoto eorum cessit labor.

§. 6.

Non tamen defuere, qui antiquo et recentiori aeuo Ptolemaei merita agnouerunt, et laudarunt. Sic STEPHANUS BYZANTINUS eum uocat *ἄνδρα ἀξιόπιστον*, MARCIANUS HERACLEOTA in initio Peripli *Θειότατον καὶ σοφώτατον*. STEPH. WARD. in Praef. ad Astronom. Geometricam, dicit, *fuisse eum ingenio, industria, eruditione admirandum, qui Hipparchum fere ubique κατὰ πόδα* sequutus sit. Magnum praeterea illud eruditi orbis ornamentum, ERASMUS L. XXVIII. Epist 19. fatetur, *Ptolemaeum omnium primum Geographicam disciplinam ad certiorem rationem redegisse, commentum dimensionem Latitudinis uniuersi orbis, Longitudinis ab exortu ad occasum, adhibita collatione terrae habitabilis ad coelum; ut iam non facile quis toto, quemadmodum aiunt, coelo possit aberrare.* Et RELANDUS *in Palaestina* L. II. c. 10. p. 456. *Edit. Batav.* eum *de omni Geographia praeclare promeruisse dicit.* Necesse igitur est, ut fateamur, Ptolemaeum ob adhibitam industriam omnino esse laudandum; et, quamuis in quibusdam errauerit, (cum nihil ex omni parte sit perfectum,) non plura praestare potuisse, quam ratio illorum temporum permisit.

§. 7.

Labor hic a Ptolemaeo in conscribenda Geographia praestitus, quamvis multum per se habuerit perspicuitatis, maioris tamen euidentiae caussa uidebatur necesse, in plano faciem totius orbis, eiusque partium sistere. Hinc AGATHODAEMON quidam, in *Bibliotheca Gesnero-Frisiana* p. 16. et in nonnullis Exemplaribus MStis Ἀγαθὸς Δαίμων dictus, Mechanicus Alexandrinus, p) Tabulas Geographicas primus omnium ex

p) Dubitant uiri eruditi, num hic sit AGATHODAEMON GRAMMATICUS, ad quem nonnullae

ex mente Ptolemaei delineauit ; quae delineationes a S. R. Haubero in *Epist. Hist. Tab. Geograph. p. 11. not. l. p. 12 et alibi*, pro primis Tabulis Geographicis, ex quibus reliquae omnes promanarint, merito habentur. Harum Tabularum Apographa pluribus Geographiae Ptolemaei Codicibus addita reperiuntur; imo, interdum separatim, etiam manu picta habentur. In *Catalogo* enim *Manuscriptorum Angliae et Hiberniae* T. I. P. I. n. 1658. occurrit mentio imaginum Ptolemaei, quas, cum aliae tabulae isti Volumini sint adiectae, Tabulas Agathodaemonis nostri esse puto. Vti uero ipse Ptolemaei textus a uariis Librariis olim fuit deprauatus; ita forte in has Agathodaemonis tabulas, successu temporis, et ratione non habita graduum longitudinis ac latitudinis, uaria irrepserunt menda, testante Nesselio, loco paulo inferius citando, adeoque pristinam penitus amiserunt formam; praeterea quoque nominibus locorum Graecis erant insignita. Hinc Nicolaus Donis, conuerso prius in linguam latinam a Iacobo Angelo textu, utilissimum in se suscepit opus, uertendo locorum in tabulis occurrentium nomina, et tabulas simul Agathodaemonis restaurando, ac corrigendo; de quo Nicolao, et eius instituto, infra dicendi locus erit.

## §. 8.

Sic igitur omni aeuo hic Ptolemaei liber inter eruditos magni aestimabatur: id quod testantur tot codices MSti, medio aeuo exarati, qui in Bibliothecis diuersis hodienum supersunt. Quoniam autem Lingua Graeca Seculo XIII. et sequenti paucissimis fuit, in occidentalibus terris, cognita, hinc, renascentibus Seculo XV. literis Graecis, statim sub initium illius Emanuel Chrysoloras, et Iacobus Angelus, de transferendo hoc libro in idioma Latinum cogitarunt; quorum ille morte forsan praeuentus, opus hoc non ad finem perduxit, cum nihil illius hodie supersit, hic uero istud non solum inchoauit, sed et perfecit; quos dein-

nullae Isidori Pelusiotae extant Epistolae uid. Fabricius l. c. p. 412. et Koenigii *Bibl. V. et N.* p. 16 qui Agathodaemonis alius, ex Borrichio, mentionem facit. R. P. Montfauconius in *Paleogr. Graecae* L. I. c. VIII. p. 94 putat, Agathodaemonem fuisse scribam Alexandrinum, qui Libros VIII. Geographiae Ptol. descripserit. At uero in hoc errauit: siquidem Calligraphus, Codicem ibi memoratum describens, saltem in subscriptione ista Auctorem Tabularum indicauit. De Agathodaemonis tabulis conf. I. A. Fabricium in *Bibl. Graec.* L. IV. c. XIV. §. 1. p. 412. et *Bibliogr. Antiquar.* C. V. §. 9.

deinde alii, transferendo in linguas Italicam, Lusitanicam, et forte Germanicam, ac alias, sunt secuti. Cum uero omnes uersiones ex textu Graeco sint desumtae, et quidem, ut plurimum in subsidium uocati Codices MSti.; ratio ordinis postulat, ut Codices Graecos manu exaratos ante omnia recenseam, quorum notitia ad me peruenit, subiunctis denique latinis.

# CAPVT II.

## DE CODICIBVS MStis GRAECIS GEOGRAPHIAE PTOLEMAEI.

§. 1.

ANte uero, quam ad recensionem Codicum MStorum huius Libri procedam, necesse est, ut uerba adferam Cl. WASSE, Rectoris Scholae Aynhoensis, qui generalem quandam notitiam omnium Codicum MStorum huius libri dedisse uidetur. Sic autem ille in Epistola quadam, inserta Bibliothecae Litterariae, Londini 1722. in 4to excusae, parte II. p. 33. q) *I refer the Reader to Dr. Bernard, vvho has given large directions for the Publication of this Scarce author. See Fabric. III, 568. there are four MS. in the Royal Lib. Paris, three at Camb. nineteen in Vossius's, and the Lib. of England, ten in Irrland, many at Vienna. Particularly the oldest one yet Knovvn of the Geography; a collation of vvhich is in the Hands of that eminent Mathematicien Dr. Halley, vvho is the fittest Person in the vvorld, to undertake an Edition of Ptolemy. In Bibl. Laurent. is also a MS. of the Geog. Writ 1445. and one, of the 15th Cent. etc.* Quod si tantus Codicum MStorum Geographiae Ptolemai, in citatis a DN. WASSE Bibliothecis superesset numerus, certe mira esset res, si omnes fuissent deperditi. In Bibliotheca enim Vindobonensi praeter eum, quem modo describam, nullus hodie comparet: neque etiam in Vossianis Codicibus totidem habentur. Hinc de omnibus Ptolemaei Libris ea uerba esse intelligenda censeo, quorum numerum FABRICIUS l. c. satis magnum allegat: quos uero omnes iam enumerare ratio instituti mei non permittit.



q) Communicationem illius debeo Humanitati ac Beneuolentiae Exc. KRAUSII, P. P. Hist. in Acad. Wittebergensi, nuperrime pie demortui.


§. 2.

De sola Geographia mihi iam sermo est. Inter uero tot alios hodie superstites eius Codices, praestantissimus est, qui Vindobonae, in Bibliotheca, Augustissimi nostri Imperatoris Munificentia mirum in modum locupletata, asseruatur. Dignum eum censeo, quem uerbis NESSELII, quamuis paulo prolixioribus, describam. Sic autem ille in *Catalogo Bibliothecae* iam memoratae P. V. p. 3. *Primus Codex MStus Historicus Graecus est membranaceus, antiquus, perelegans, et optimae notae, in folio, ut uocant, superregali, constatque foliis 98. et quantum ex magnificentia scripturae et compacturae, aliisque uariis circumstantiis, conicere licet, ad magnum aliquem, et eruditionis Graecae amantem Principem, olim pertinuit. Continentur eo CLAVDII PTOLEMAEI Pelusiotae, Philosophi Alexandrini, qui Seculo post Christum natum secundo, sub Imperatoribus, Hadriano, Antonino Pio, et M. Antonino Philosopho, floruit, Geographiae Libri octo, cum antiquis tabulis Graecis, diuersitate colorum adeo insigniter ac mirifice distinctis, et illuminatis, ut splendidius ac sumtuosius istius Geographiae Exemplar manu scriptum, in nulla totius Europae Bibliotheca extare, certo arbitrer. — — — Dignissimum est Exemplar hoc MStum, ut omnes iam memoratae Geographiae hactenus impressae editiones, tam Graecae quam Latinae, diligenter et accurate cum eo conferantur; et quidem praecipue optima illa editio Graeco-Latina in folio, quae opera et studio Petri Bertii, Galliarum Regis Cosmographi celeberrimi, Lugduni Batauorum, typis Isaaci Elzeuirii An. 1618. adornata est — —* Refert quoque NESSELIUS loco eodem, Codicem laudatum Waradini olim fuisse asseruatum, et ex satis antiquo exemplari descriptum. Collationem cum eo in D. HALLEY manibus olim fuisse, DN. WASSE loco superius adducto testatus est. Num Codex iste, quem THEOBALDUS FETTICHIUS olim cum ERASMO communicauerat, et aliis, quo PHILESIUS in adornanda Versione latina, Argentorati 1513. excusa, quique olim ad IO. FRANC. PICUM, *Mirandolae Comitem*, pertinuit, hodie supersint, haud liquet: alias enim in praesenti uberius essent recensendi.

§ 3.

Alterum proin ab Exemplari Viennensi locum adtribuo Codici itidem membranaceo, qui in Bibliotheca D. Marci Venetiis extat. Non recordor, ab ullo rei Bibliothecariae scriptore, eum commemorari: quapropter descriptionem illius suppeditabo, quam *Nobiliss.* DN. I. B.

STARCK







12.

JN

STARCK, *Sereniss. Duci Saxo-Hildburghusano a Consiliis*, pro sua in me amicitia et singulari fauore, mecum communicauit; utpote cui a Praeclariss. DN. MADERO, *Bibliothecae illius Praefecto*, beneuole concessum fuit, accuratius eum perlustrare. Scriptus est in membrana nitidissima, formae maioris, siue Regalis, charactere uulgari minutiori, Seculo XIII. conuenienti: ita tamen, ut primae cuiusuis Capitis aut Libri literae, uariis ductibus inauratis, et coloribus eleganter sint pictae; librorum quidem crassioribus et splendidioribus, capitum uero subtilioribus. Frontem Codicis ornat effigies Ptolemaei, uestitu regio induti, imposita capiti Corona. Eam non solum accurate ex Autographo delineari, a uiro artis pictoriae perito, sed et eadem, qua Codex scriptus est forma, aeri incidi curaui, in adiuncta huic opusculo tabula. Error est pictoris, nonnullis quoque Viris recentioris ac medii aeui r) communis, qui eundem esse Ptolemaeum nostrum cum Ptolemaeo Aegypti Rege, aut saltem ex Ptolemaeorum stirpe prognatum, putabant. Sed cum Ptolemaei Aegyptii aliquot Seculis nostrum antecesserint, facile hic est, deprehendere Parachronismum, inscitiae medii aeui tribuendum. Coniectura enim cuiusdam Viri eruditi, quasi ob ingentia Ptolemaei in Mathesin et Geographiam merita, caput eius Corona ornatum sit, ingenium quidem prodit; nulla tamen adest ratio, cur ei accedam: potius opinio, medio aeuo consueta, quam et Grynaeus fouit, inscitiam illorum temporum indicat. Num Epigramma, iconi huic Graece et Latine adscriptum, ipsum auctorem habeat Ptolemaeum, alii iudicent; ego minime in eam sententiam ire possum. Adscribam tamen illud, et quidem Graece primum:

*Επίγραμμα ὅπερ ἐῖπε πτολεμαῖος ἐις ἑαυτόν.*

*Οἶδ᾽ ὅτι θνητὸς ἔφυν, καὶ ἐφήμερος, ἀλλ᾽ ὅταν ἄστρων*
*μαστεύω πυκνὰς ἀμφικόμους ἕλικας.*
*Οὐκ ἔτ᾽ ἐπιψαύω γαίης ποσὶν; ἀλλὰ παρ᾽ αὐτῷ*
*ζηνὶ θεοτροφέος πίμπλαμαι ἀμβροσίης.*

 Haec

r) SIMONI GRYNAEO in *Praef. ad Almagestum* Basil. 1538. et, ut VOSSIUS, de *scient. Mathem.* p. 162. testatur, ante eum aliis.

Haec Carmine latino ita redduntur;

Epigramma Ptolemaei ad se ipsum

*Mortalem Vitam perituraque membra dedere*
*fata mihi, et summum praestituere diem.*
*Sed Iouis Ambrosia uescor, terramque relinquo*
*Ingenio cursus dum noto sydereos.*

Varia circa modum scribendi hoc Epigramma Graecum sunt notanda: 1.) quod textus uterque, tam Graecus quam Latinus majusculis exaratus sit litteris, sine ullo scribendi compendio 2.) quod in Epigraphe minusculis litteris scripta, adsint abbreuiaturae 3.) quod Spiritus asper indicetur per ⊦, lenis per ⊣, apostrophus uero itidem per ⊦ 4.) quod littera Y per V sit expressa. Picturam in altero statim folio excipit Ptolemaei textus, paucissimas habens abbreuiaturas: eumque tabulae Graecae numero XXVII. tot scil. quod Agathodaemon teste Fabricio, loc. cit. delineauit, elegantissime coloribus distinctae, inprimis pretiosissimo illo colore, qui pictoribus Vltramarinus dicitur. His demum in ultima pagina στίχοι adduntur sequentes:

Στίχοι ἡρωϊκοί εἰς τὴν πτολεμαίου γεογραφίαν.

Ἐν γραμμαῖς τὸν κόσμον ἀριθμηθέντα νόησον.
ἄρκτον τ' ὠκεανοῦ δύσιν ἀντολίην τε νότον τε.
Χεῖμα, θέρος, φυσικὰς τ' ἀτράπους σκολιὰς τε κελεύθους;
αἰθίοπας τ' ἀθρανεῖς, γερμανῶν δύσμορα φῦλα,
σαυρομάτας χοίροισιν ἐοικότας. Η δὲ καὶ αὐτῆς
αἰνομόρου σκυθίης χαλεπὸν γένος ὠχειχόντων
ἰνδῶν τὲ σηρῶν τὲ ὅ γὰρ πέρας ἀντολίης γῆς.

In ultimae paginae parte auersa, communis omnibus, impressis quoque, addita subscriptio: Ἐκ τῶν κλαυδίου πτολεμαίου γεωγραφικῶν βιβλίων ὀκτὼ, τὴν οἰκουμένην πᾶσαν ἀγαθὸς δαίμων, ἀλεξανδρεὺς μηχανικὸς ὑπετύπωσα. Quamuis hic Codex destitutus sit indicio temporis, quo scriptus; attamen, ex allatis a Reverendiss. Abbate Gottwicensi, GODEFRIDO, in *Chron. suo* L. I. c. VI. §. 2. criteriis, Seculo XII aut XIII. eum esse descriptum puto: cum in seculi XIV. Codicibus, dicente Godefrido, maior reperiatur miseria.

Forte

Forte ex hoc quoque Codice impressa possent emendari exempla, dummodo Vir, Graecae peritus Linguae, eum cum editis conferre uelit, aut possit.

§. 4.

Praeter autem hunc egregium Codicem Membranaceum, in iam laudata *D. Marci Bibliotheca*, alius quoque extat chartaceus, paulo minoris formae, textum integrum Graecum cum XXII. tabulis complectens. Multae in eo occurrunt siglae, et scribendi compendia; adeo ut difficulter, et non nisi ab harum rerum perito, textus legi possit. Litterarum ductus satis tenues, et minus legibiles, pallido et subflauo scripti atramento; qui, asserente modo laudato Abbate *Godefrido*, *l. c.* §. 3. p. 62. indicant, scriptum esse Codicem Seculo XIV. cum alii e contra, ob colorem atramenti, et alias causas, pro longe eum habeant antiquiore. Tabulae, quidem coloribus nonnullis distinctae, quae praeterea ornatu et elegantia a priori Codicis tabulis longe superantur, et calamo potius scriptae, quam a pictore delineatae uidentur.

§. 5.

Aliud in eadem adhuc urbe, et quidem penes CAROLVM GRIMANIVM, Patricium Venetum, fuisse olim exemplum, R. P. MONTFAUCONIVS, *in Diario Italico* p. 40. testatur. Sed, praeterquam quod mutilum istud fuerit, non adeo magnam quoque ostendebat antiquitatem; siquidem uix Seculi XV. aetatem attingebat. Quoniam uero haec Bibliotheca commune cum aliis habuit fatum, ut scil. post obitum Illustris Possessoris, a Haeredibus uel neglecta, uel in alium plane locum transportata sit; hinc de codice isto, ubinam locorum hodie lateat, nihil rescire potui.

§. 6.

Ad reliquas Italiae urbes procedam, et qui in iis asseruentur codices breuiter recensebo. MONTFAUCONIVS *Florentiae* in *Bibliotheca Monasterii B. Mariae* uidit Exemplar Graecum Geographiae Ptolemaei, in Codice membranaceo Seculi XV. descriptum, uti refert in *Diario Italico* p. 368. Sed cum recentioris paulo sit aeui, parum fidei, in nominibus inprimis Regionum ac Vrbium, meretur; nisi ex alio probae notae Codice sit descriptum. In eadem urbe Florentina, et quidem in *Bibliotheca*

*Magni Ducis*, *Laurentiana* dicta, asseruari Codicem Bombycinum, idem testatur MONTFAUCONIVS in *Palaeogr. Graec.* L. I. p. 79. qui et addit, a Demetrio quodam eum descriptum fuisse Anno 1445. Diuersum ab hoc est Exemplar membranaceum, incertae aetatis, quod in modo dicta Bibliotheca se uidisse testatur idem MONTFAUCONIVS *l. c. p. 92.* Hoc uti supra c. 1. §. 7. not p. iam monui, ab Agathodaemone scriba Alexandrino esse descriptum, falso putauit, quamuis p. 94. inter Calligraphos eum retulerit. Incertae pariter aetatis est alius Codex, extans in *Bibliotheca Canonicorum Regularium S. Saluatoris Bononiae*, ab eodem MONTFAUCONIO, in *Diar. Ital.* p. 409. commemoratus.

§. 7.

In Vaticana solum Bibliotheca plura latitare exempla auctoris nostri, manu exarata, non sine omni ratione coniicio. Excell. enim I. D. KOELERVS, *Historiarum Prof. Publ. in Academia Goettingensi*, quem Praeceptorem in studio Historico colo, in *Deliciis Numism.* Germanice editis P. III. p. 239. mentionem facit Exemplaris Graeci MSti, quod Cardinalis PETRVS BEMBVS olim possedit; mortuo uero illo cum aliis libris, in Vaticanam peruenit Bibliothecam. Idem forte Exemplar B. GOEZIVS, *Senator Lips.* cum editione Parisiensi contulit, ubi mentionem facit MSti Vaticani; qua de re pluribus infra exponam. Bini quoque Codices Graeci, qui in Bibliotheca Heidelbergensi olim exstiterunt, teste *Catalogo*, *Monumentis pietatis ac literar.* T. I. *inserto* p. 94. n. 314. et 123. n. 388. cum innumeris aliis in Vaticanam Bibliothecam sunt illati; quorum primum *Michael Apostolius* exscripsit. Nec minus aliud olim Romae erat Exemplar MStum, manu *Gemisthi Philosophi* correctum et emendatum, quo DOMITIVS CALDERINVS in adornanda Editione Romana Anni 1478. usus erat, ceu docet *Praefatio illius editionis.* Vtrum uero hodie adhuc ibi supersit, aut ad alias peruenerit manus, certo non constat. In Bibl. Barberiniana quoque extitisse Codicem MS. ex Collatione Goeziana concludo, utpote quem in margine saepius citat.

§. 8.

Relictis Italiae Bibliothecis ad Gallos progrediar: apud quos plura haberi exemplaria coniicio. Sed, quod dolendum! unius saltem notitiam exhibere potui, cum reliqua in Monasteriis delitescant, aut a possessoribus maxima cura asseruentur. Extitit is olim in *Bibliotheca*

*Cois-*

*Coislintana*, et descriptus fuit a MONTFAUCONIO, *in Catalogo dictae Bibliothecae* p. 611. sequentibus uerbis: *Codex Coislinianus* CCC XXXVII. *qui Cl. Ptolemaei Geographiam continet, descriptusque fuit XIV. uel XV. Seculo, tam multa tamque grauia praefert lectionum discrimina, ut operae pretium duxerim, eius lectiones uarias eruditis offerre. Vnius igitur ex nostris Graecis, periti, et accurati Viri, opera manuque usus, qui etiam Xiphilini et Alexiados Comnenae, quas supra edidimus, uarietates collegerat, has etiam typis dandas censui. His sane conspectis nemo literariae rei studiosus non fatebitur, nobilissimum Scriptorem medica manu egere. Omnia siquidem in edito susque deque uersa sunt urbium et locorum nomina, passim labefactata, situs secus positi, numeri uitiati; ita ut persaepe occurrant plus quam 30. uel 40. huiusmodi Sphalmata, una in pagina deprehensa. Neque tamen dixerim, uitium semper in edito, nunquam in MSto reperiri: in hoc quidem non raro, secus quam oportet, legitur, maxime uero in nominibus propriis; in ceteris autem fere semper error in edito iacet, etc.* Haec MONTFAUCONIVS, qui et subiunxit huic descriptioni uarias lectiones ipsas, cum editione Lugdunensi Graeco-Latina, de An. 1618. institutas; in quibus indicandis tanta fuit adhibita solicitudo, ut et spirituum et accentuum discrepantiae compareant notatae. Quod si aliorum etiam Codicum haberemus collationes, pari modo institutas, fore spero, ut auctor hic suae integritati iterum a Viris doctis restitui posset.

§ 9.

In Hispaniae et Lusitaniae Bibliothecis num extent huius libri exemplaria manu exarata, iuxta cum ignarissimis scio. In iis enim regnis paucissimarum Bibliothecarum Catalagos euulgare, hactenus permittebatur eruditis; et si qui forte editi sunt, ii aut ualde imperfecti et manci deprehenduntur, aut rarius in nostris terris comparent. Nam quae MORHOF. in *Polyhist. Litt.* L. I. C. VII. n. 18. p. m. 57. de nimium inuidis MStorum Possessoribus dixit, ad Hispanos quoque applicari posse puto. Forte autem ad exempla aliorum populorum Hispani se imposterum component: quos uident, humanitatem cum eruditione, felici connubio, iungere, et hinc laudem reportare; quorumque exempla Lusitani ex parte sunt imitati. Vberiorem Bibliothecae Lugdunensis in Batauis notitiam habet orbis eruditus, euulgato iterata uice Catalogo illius, 1640. in forma quarti ordinis, et 1716. in fol. In hoc, p. 341. inter Libros MStos Legati Scaligeriani occurrit editio Graeca Paris. 1546.

excu-

excusa, in omni pagina a Scaligero multum notata. Praeterea quoque priuatas eruditorum Batauorum collectiones impressis quibusdam cum MStis collatis condecoratas fuisse, palam est. Sic NIC. HEINSIVS, teste *Catal.* eius *Bibliothecae* P.I. p.299. habuit exemplum Geographiae Ptol. Basil. 1533. editum, plurimis locis emendatum, et cum MS. a Viro docto collatum. PETRVS autem FRANCIVS, eandem possedit editioem, quae olim erat Guil. Xylandri, et aliam Graecam Paris. 1546. excusam, cum MSto collatam, et a Salmasio emendatam: referente *Catal. 1705. Amstelod. edito.* In quorum autem manus, diuenditis, post obitum possessorum, Bibliothecis, peruenerint isti libri, haud certo constat.

§. 10.

Anglia, felix illa Insula, mole, ut aliorum librorum optimae notae, sic et Apographorum nostri auctoris, laborat; uti ex *Catalogo MStorum Angliae et Hiberniae*, ab EDUARDO BERNARDO 1697. in fol. euulgato, patet. In huius enim libri rarioris Cl.I.P.I.n.721. mentio fit Ptolemaei Geographiae, cum Scholiis Nicephori Gregorae, quae autem manca sit ex parte: sic alius Codex fuerat inter libros Io. SELDENI l. c. n 3375. a quo diuersus n.3367. Geographiam Ptol cum adspersis hinc illinc ad marginem Arabicis, continens. His duobus Codicibus usus erat Io. GRAVIVS, conferendo eas cum editione Bertiana; docente Fabricio Bib. Gr. L. IV. c. XIV. p. 414. n. 3785. in Hyperoo Bodleiano asseruata fuit descriptio Arabiae, ex Ptolemaeo desumta, Graece et Latine, prelo parata. n. 6605. mentio facta Codicis Graeci inter libros HENR. SAVILII extantis, cum notis eiusdem. In Tom. II. P. I. istius Catalogi, occurrunt n. 2325. et 2395. bini Codices, qui inter Graecos Isaaci Vossii olim fuerunt, et alius n. 7417. qui inter libros fuit Eduardi Bernardi: ut taceam excerpta ex Ptol. Geograph. de Hibernia, desumta ex Codice MS. Petri Bembi, quae T. II. P. II. n. 280. commemorantur, et alia, ex nescio quo Codice descripta n. 424. Optandum uero, ut de aetate, scriptura, et pretio cuiusuis codicis, paulo uberius collector diligentissimus disseruisset; quo in futura editione huius auctoris, conferendo optimos et antiquissimos, ii possint adhiberi. Sed sufficit iam eos indicasse, et editori uiam monstrasse qua in emendando Ptolemaeo possit incedere. In reliquis Europae Regnis plures adhuc delitescere Codices MStos facile est colligere: sed cum nemo consignandis iis operam huc usque suam impenderit, acquiesco, et reliquorum inuestigationem aliis relinquo.

§. 11.

§. II.

Vnius tamen praestantissimi Codicis, impressi quidem 1540. Parisiis apud Wechelios, sed cum pluribus MStis collati, adeoque magni aestimandi, non possum, quin sub finem huius Capitis mentionem faciam. Ornat ille Bibliothecam Senatus Incluti Lips. magnis sumtibus laudabiliter auctam. Ipse vidi eum quondam, ast obiter saltem, inter alia rariora dictae Bibliothecae; postea uero a Consultissimo Dn. Io. Iacobo Mascovio, Senatore Lips. qui curam ornandae et augendae indies Bibliothecae agit, precibus impetraui, ut doctissimo M. *Io. Andr. Mich. Nagelio*, *Solisbacensi*, copiam eius perlustrandi faceret. Possederat eum olim Consultissimus Goezius, *Senatus Lipsiensis decus, et Bibliothecae Senatoriae felicissimus Restaurator*; hic forsan in itinere litterario, aut ipse cum Manuscriptis contulit, aut collationes ab alias susceptas, describi curauit. Imo, si coniecturis aliquid dandum, magna est conuenientia scripturae, in margine libri citati, cum manu Henrici Stephani. Inueniuntur in eo, praeter lectiones uariantes, notae, et emendationes, typis excusi huius exempli. Notae maximam partem petitae sunt ex Strabone, Stephano Byzantino, Eustathii Commentationibus ad Dionysii Periegesin, Arriano, Scylace, Plinio, Mela, aliisque ueteribus Scriptoribus. Manus, qua lectiones uariae, notae et correctiones sunt exaratae, est nitidissima, neque unquam maculis aut lituris deprauata. Signa, quibus indicatur, unde quaelibet lectio uarians sit desumta, sunt, uel litterae: V. B. P. VV. uel compendia scribendi: MS. Vat. MS. VatiC. MS. Pal. MS. Barb. V. alius Vat. minor. Vatt. Pall. Sic MS. Ceterum nullum adest indicium, ex quo tuto concludi posset, ubi instituta fuerit collatio, cum codicibus MStis: nisi quod sub initium libri IV. in margine addita sint haec uerba: *Coll. cum MS. Vatic. 177. et cum B.* Praeterea notandum est, lectiones uariantes in fine libri septimi, et in toto libro octauo, esse admodum raras; itemque codices MSS. Vaticanum et Barberinianum saepius suppeditare lectiones uarias, quam ceteros. In Libro primo Cod. Vatic. sed in Libro tertio Codex Barberinanus omnium maxime occasionem lectionum uarietati dederunt. Vtrum ex comparata hac editione Geographiae Ptolemaei cum MSS. speranda sint magna lacunarum supplementa, ii dispiciant, quibus accuratius eam cum aliis conferre est permissum. Pleraeque enim lectiones uariantes singulas solasque literas, syllabas, aut uoces concernunt; et uix quatuor sunt loca ex MSS. annotata atque expressa,

C quae-

quae tres aut quatuor restituunt uersus. Dabo L. B. specimen ex hoc codice descriptum, quinque scil. priora Libri primi Capita, ex quo de toto opere iudicari potest.

| Textus impressus. | Margo. |
|---|---|
| Τίνι διαφέρει γεωγραφία χωρογραφίας. | Eustath: Praef. ad Dionys. Alexandrinum. |
| versu 7. ὡς. | deleatur. |
| ibid. αὐτȣ̃. | αὐτῷ. Sic MSS. |
| versu 9. αὐτὴ | leg. ἄυτη. |
| 12. ἐμπεριλαμβανομένων. | quae locus, siue regio, illa in se complectitur. |
| 15. ὡς. | ὅπως |
| 16. μόνων τῶν ἐν ἄλαις περιεκτικωτέραις. | generalioribus. Sic Hesychius συνεκτικώτερα exponit κεφαλαιωδέστερα. |
| 17. ὅιον κόλπων | (κοιμῶν μεγάλων. Vat.) |
| 18. μεγάλων, ἐθνῶν τε | (ἔλι ὀρῶν. V.) |
| 22. ἀπογραφομένοις | ὑπογραφομένοις B. |
| 23. τῶν πρώτων | προηγȣμένων. Vat. |
| ult. ἵν' ἅπαν | ἵνα πᾶν. |
| Pag. 2. | Pag 2. |
| 14. et 15. καὶ ȣ̓δὲ ἔις χωρογραφήσειεν | Pictura Chorographo necessaria. |
| 16. γραμμάτων | γραμμῶν Vat. |
| 18. ὀυ δεῖ | ȣ̓δὲν τι δεῖ. |
| 20. καὶ \| τῆς | \| αὐτῆς. |
| 26. τȣ̀ περὶ οἰκήσεως λόγȣ | τῷ λόγῳ |
| ult δινᾶται | δύναται φαίνεσθαι |
| Pag. 3. | Pag. 3. |
| 1. et 2. ἀθρόως | ἀθρόωνως. V. |

Cap.

| | |
|---|---|
| **Cap. II.** | **Cap. II.** |
| 13. μετεοροσκόπιον | μετεοροσκοπικὸν. V. |
| 23. μερικωτέρας | — κακω — V. |
| 24. τοιοῦτον | τοῦτον V. |
| 28. βεβαίως | βεβαίαν. V. |
| ult. περιπίπτειν | ἐμπίπτειν V. |
| **Pag. 4.** | **Pag. 4.** |
| 5. ἰθυτενείας | εὐθυτενείας V. |
| 8. αμειφθέντων | emenſorum |
| 11. ἀκριβοῖ | ακριβῶς V. |
| 18. διὰ τοῦ | διὰ αὐτῶν. V. |
| **Pag. 5.** | **Pag. 5.** |
| 12. τὸν πρὸς τὴν ὅλην | τὴν πρὸς τὴν ὅλην. V. |
| **Cap. III.** | **Cap. III.** |
| 24. ἐν | ἐφ' V. |
| 27. τῶν μεσημβρινῶν | τοῦ μεσημβρινοῦ V. |
| **Pag. 6.** | **Pag. 6.** |
| 1. ἐκλαμβανομένων | ἐκβαλλομένων. V. |
| 12. μετεωροσκοπικοῦ | μετεωροσκοπίου. V. |
| **Cap. IV.** | **Cap. IV.** |
| **Pag. 7.** | **Pag. 7.** |
| 6. ποιῆσαι | ποιεῖσθαι. V. |
| 7. καταγραφὴν | ἀσιαγραφὴν. V. |
| **Cap. V.** | **Cap. V.** |
| **Pag. 8.** | **Pag. 8.** |
| 6. ἐπειδὴ. | deleatur. V. |
| ib. ἅπασι | πᾶσι V. |
| 11. τὴν | τῆς. B. |
| ib. ἡμῶν | ἡμᾶς. B. |
| ib. οἰκουμένην | οἰκουμένης B. |
| 14. ἔνια δὲ καὶ (αὐτὰ | διὰ τὴν ἐν αὐτοῖς μεταβολὴν. V. |
| 16. ὑςάταις | ἐγγυτέραις. V. |



# CAPVT III.

## DE COCICIBVS LATINIS MStis.

§. 1.

Recensitis in Cap. praecedenti Graecis Codicibus, nunc enumerabo, qui uersionem Geographiae Ptolemaei Latinam continent, hodienum superstites. Iam enim in medio aeuo, cui magna uulgo et crassa, ut elegantiorum literarum in uniuersum, ita et inprimis Geographiae tribuitur ignorantia, a) Ptolemaeum magni fuisse aestimatum, tot testantur Apographa Graeca, superius recensita. Hinc non est mirum, cur Seculo XV. renascentibus literis, bini uiri eruditi, de uertendo illo in linguam latinam, cogitarunt; quo scil. liber in addiscenda Geographia antiqua quam maxime necessarius, in plurium, linguam Graecam non callentium, perueniret manus. Primus illorum, EMANVEL CHRYSOLORAS b) Vir Graece doctissimus, opus quidem inchoauit, c) at uero morte praeuentus, aut a iis negotiis impeditus, istud non absoluisse uidetur; quoniam inter reliqua Emanuelis *ἀνέκδοτα* istud non habetur. IACOCVS autem ANGELVS primus omnium hoc opus perfecit, cuius Archetypon Florentiae in Bibliotheca Abbatiae superfuit temporibus Poccianti, ceu testatur in Libro de script. Florent. p 83. Cum igitur tantopere de Ptolemaeo mereri studuerit Iacobus Angelus, dignum eum censeo, in cuius uitam paulo penitius inquiram.

§. 2. Ex

a) contrarium euincere sategit b. Polyc. Lyserus, Prof. Helmstadiensis, in Praef. Historiae Poetarum et Poematum medii aeui, Halae 1721, in 8. excusae, praemissa.

b) De EMANVELE CHYSOLORA, uid. praeter citatos a Cl. DN. KAPPIO in Diss. *de Xicco Polentone* pag. 4. not. m. auctores. KOENIGIVS in *Bibl. V. et N* 190. IOVIVS in *elogiis illustrium literis Virorum* pag. 41. CRVSII *Germano-Graecia L. V.* pag. 234. HALLERVORDII *Bibl Curiosa* pag. 66. WAGNERVS in *Diss de eruditis militibus*, *A.* 4. MABILLONIVS, in *Itin. Ital.* T. I. L. I. pag. 181. SCHELHORNII *Amoenitat. Literar.* T. V. p. 193. MONTFAUC. *Diar. Ital.* p. 40 S. R. CYPRIANI *Catal. MStorum Bibliothecae Ducalis Gothanae* p. 108. *Catalogus MStorum Angliae et Hiberniae* T. I. P. I. p. 1. *Catal. Biblioth. Lugduno-Batav.* p. 344. 345. 349. Vitam eius descripsit PONTICVS VIRUNIVS, quae praefixa *Erotematibus Graecae Linguae* a Chrysolora conscriptis, *Ferrariae* 1509 editis. Jam anno 1408. Emanuelem Parisios ab Imperatore Manuele fuisse missum, refert MONTFAUC. *Palaeogr. Graec.* L. I. C. VI. p. 56. et C. VIII. p. 103.

c.) IACOBVS ANGELVS in Praef. ad uersionem Latinam Geographiae Ptolemaei, a se perfectam, dicit: *Manuelem Constantinopolitanum, suauissimum Graecarum literarum in urbe Florentina Praeceptorem in latinum eloquium transferre Geographiam Ptolemaei incepisse.*

§. 2.

Ex quanam familia, siue gente is originem traxerit, non est mihi perspectum. Pauca enim sunt, quae de eius in Ptolemaeum meritis, et scientia Mathematica, tradit POCCIANTIVS, in *Catalogo scriptorum Florentinorum*, p. 11. edit. *Florent. de Anno* 1589 in 4. qui et ipse fatetur, se ignorare patriam et nomen gentilitium Angeli, scribens: *Angelus, cuius familia ignoratur, bonarum literarum promtuarium, et Geographiae assiduus Professor; teste uirorum illustrium quodam Catalogo, Geographiam Ptolemaei uertit, etc.* Idem meo iudicio est IACOBVS ANGELVS, quem POCCIANTIVS l. c. p. 83. ANGELICVM uocat, et de eo narrat, quod *a natura maximis dotibus decoratus, ac, naturali quodam instinctu, ad Corporum Coelestium indagandas proprietates progenitus, haec naturae nobilissima munera repetens, labore non immodico posteris transmittendam curauerit Cosmographiam Tholomei; quam diligentissime e Graecis Codicibus, et Tabulis aeneis* d) *ex picturae dimensione expressam, Alexandro V. dedicauit*; e) *quo munere gentium omnium Historiae ingentem requisitae lucis splendorem uidentur* —— —— *Latinius in eius laudem haec habet*:

En tibi stat meriti e tabulis laus, Angele, summi,
cum mundo aequaleis fati habitura dies.
Hinc te perpetuum Comitem Teblonius habebit;
pes, oculusque alter, cuius et orbis eris.

Eadem fere habet P. IVLIVS NEGRI, in *Istoria degli Scrittori Fiorentini Ferrara* 1722. *in fol. edit.* p. 43. b. p. 319. b. 320. b. seq. qui uti in locis citatis, ita et alibi POCCIANTIVM partim exscripsit, partim suppleuit. Hic IACOBVM ANGELVM de SCARPARIA, et IACOBVM ANGELVM FLORENTINVM pro uno eodemque habet: siquidem locus, SCARPARIA dictus in agro Florentino situs. Vtrum uero haec ita sint, iis iudicandum relinquo, quibus Magnum Etruriae Ducatum, aut mente, aut corpore, accuratius perlustrare contingit. Gesnerus enim,



d) quis sit horum uerborum sensus, non satis clarum est. Eo enim tempore, quo Iacobus Angelus, suum laborem Alexandro inscripsit, nondum ars Chalcographica erat inuenta; neque etiam Iacobus, alias, quam pictas tabulas, Alexandro obtulit, quales Autographon eius habet.

e) forte caussa dedicationis erat, desiderium Iacobi, ut a Pontifice Maximo inter Secretarios eius cooptaretur, ceu docet Epistola LEONARDI BRVNI: L. I. Ep. I. p. 1. 2. edit. *recentiss. Hamburg.* de An. 1724.

enim, cum Continuatoribus, huic sententiae contradicunt, et diuersos esse aiunt IACOBVM ANGELVM FLORENTINVM et IACOBVM ANGELVM DE SCARPARIA. Ipse autem R. P. NEGRI errauit, p. 319. ea scripta adtribuens IACOBO RINUCCINO, quae sequenti pag. 320. IACOBO ANGELO FLORENTINO adscribit. Locus quoque ex BLONDI FLAVII *Italiae Illustratae* L. I. ab ipso R. P. NEGRI, ad corroborandum suam, de IACOBO ANGELO de SCARPARIA, Florentino, relationem, obstare potius ei uidetur; quamuis enim ibi mentio fiat Iacobi Angeli de Scarparia Graece Latineque doctissimi, non tamen ei Versio Geographiae Ptolemaei tribuitur, sed alius liber, a Gesnero adscriptus Iacobo Angelo de Scarparia. Praeterea Gesnerus a R. P. Negri in testimonium antea dictorum allegatus, duos affert, imo plures Iacobos Angelos, ex scriptis saltem a se inuicem discernendos: quae omnia P. Negri non attendisse uidetur. Ceterum, praeter hucusque allegatos auctores, uideatur quoque de Iacobo Angelo, IOVIVS *in Elogiis illustrium literis uirorum* p. 212 edit. Basil. de Anno 1575. in fol. KOENIGIVS *in Bibl. Vet. et Nov.* p. 40. I. A. FABRICIVS *Bib. med. aeui* L. IX. M. WOLFG. PERISTERVS in *Praef. ad Iac. Angeli Vitam Ciceronis.*

§ 3.

Quamuis, ob susceptum in se laborem, uertendae Ptolemaei Geographiae in idioma Latinum, laudem promeruisse uideatur Iacobus Angelus; nescio tamen, quare GESNERVS in *Bibl sua* p. 351. de eo pronunciet, male et indocte eum Geographiam Ptolemaei latine reddidisse, cum tamen p 44. sub tit. ANGELVS FLORENTINVS. idem scriptum referens, omiserit haec uerba, *male et indocte*; hinc etiam, unum hominem pro duobus eum uenditasse puto. Pocciantio enim, et nonnullis aliis, Iacobus Angelus, ob suam in Graeca Lingua peritiam, quam maxime laudatur; imo ipse, teste Negri l. c. Constantinopolin profectus fuit, ad uberiorem linguae Graecae notitiam imbibendam; et non parum Florentiae, ab Emanuele Chrysolora, in adornanda uersione, fuit adiutus. Quare etiam uerba ista, *male et indocte* ab Epitomatore et Continuatoribus GESNERI, forte aliud ex ipso scribendi genere edoctis, fuerunt omissa. Coniunctissime autem et familiarissime Iacobum cum Emanuele Chrysolora uixisse probat, praeter satis multas illius Epistolas, quae referente *Negri l. c.* fuerunt olim in Bibliotheca Antonii Magliabechii, alia quoque Iacobi ad Chrysoloram Epistola, de Gregorii XII. electione, quam Florentiae in Bibliotheca Laurentiana uidit MABILLONIVS, eamque

prae-

praeclaram uocat, in *Itinere Italico* T. I. p. 164. Quae B. PIRCKHEYMERVS, decus illud eruditae nobilitatis, et nostrae Patriae, in *Praef. ad Geographiam Ptolemaei* Argentorati 1525. excusam, de Iacobo Angelo profert, quasi is *Graeca aliquantulum calluerit, disciplinas uero Mathematicas ita ignorauerit, ut plerumque nec semetipsum intellexerit*, fere consentiunt cum uerbis SEBAST. MUNSTERI, in *Praef. ad Edit. Basil. de Anno* 1540. et forte ex eo prodeniunt, quoniam in indicanda locorum longitudine et latitudine multa deprehendit falsa. Sed cum forsitan Angelus, in uersione Libri concinnanda, usus sit Codice Graeco, in annotanda locorum distantia non adeo accurato, excusationem mereri uidetur. Taceo, hodienum, ubi tanta studium Astronomicum cepit incrementa, maiorique industria obseruationibus uacant Vranophili, certos plurimorum locorum situs uix indicari posse, ut ait Cl. HAUBERVS in *Discursu de praesenti Geographiae statu* §. 29. p. 122. 123. multo igitur magis Angelo nostro, siue etiam ipsi Ptolemaeo, errores commissi condonandi uidentur. Quicquid autem sit harum rerum, Iacobus tamen Angelus ob suam in uertendo industriam laude non frustrandus; siquidem auctorem in Geographia addiscenda ualde necessarium, in eorum quoque manus tradidit, qui rudes plane linguae Graecae erant; hincque etiam complura ex Autographo descripta fuerunt exempla, quorum plura, qui mihi innotuere, iam enumerabo.

§. 4.

Ante uero omnia describendus esset Codex, cuius mentionem fecit B. SAUBERTVS in *Orat. II. de Bibliotheca Norimb.* pag. 64. et ex eo celeb. STRUVIVS in *notit. rei literar.* C. IV. §. 17. pag. 153. quique Trapezuntii manu fuit correctus; sed nullum hodie eius uestigium apparet. Ast superest adhuc membrana illa, a SAUBERTO in *Orat. cit.* p. 72. ob antiquitatem simul et tenuitatem laudata. Quod tenuitatem concernit, ea mihi non tanta uidetur, ut admiratione digna sit. Codex enim ille Bibliorum Latinus, qui in publica Academiae Altorfinae Bibliotheca ex b. D. Io. Iac. Baieri Medici olim primarii, donatione extat, longe tenuiori et nitidiori membranae est inscriptus; quae omnes, quotquot eum intuentur, in sui admirationem rapit: ut adeo ex tenuitate membranae idoneum pro antiquitate Libri argumentum non peti possit. Deinde literarum quibus insignita est, ductus minusculi, si cum aliis conferantur, Seculi X. scripturae, cuius specimina MONTFAUC. *Palaeogr.* Lib IV C. III. p. 279. exhibet, quam maxime conueniunt; ut adeo potius, pro ueteris

cuius-

cuiusdam Mathematici, Seculo X. uiuentis, et Graece docti, quam Ptolemaei manu sit habenda. Occasionem errori dedit, quod aliena manus, paulo recentior reliqua scriptura, auerso Schedae lateri inscripserit: *Ptol. MS.* Ceterum huius membranae longitudo ad quinque, latitudo ultra sex extenditur digitos. Praeter autem eam Norimbergensis Reipubl. Bibliotheca habet Codicem Latinum Geographiae Ptolemaei membranaceum, in forma maiori eleganter scriptum, quem nunc primo, inter Codices Latinos, recensebo loco. Constat ille foliis XLVII. Sed, quod dolendum, Praefatio et Capitis I. Libri I. quaedam desunt: reliqui uero Libri integri comparent. Tabulae saltem XXIII. textui sunt subiunctae, eaeque omnes ligno insculptae, quales nempe, in Editione Vlmensi de Anno 1482. habentur, ex qua desumtae uidentur: attamen quatuor quoque tabulae desunt; siquidem Vlmensis, et aliae antiquiores editiones tabulas XXVII. continent. Subscriptio ultimae tabulae addita testatur eas Vlmae fuisse membranae impressas; quam editionem inferius paulo describam. Singulae tabulae coloribus elegantissimis sunt pictae, et distinctae: Additum quoque *Registrum Alphabeticum super octo libros Ptholomei* itidem in membranae foliis 25. manuscriptum: quod sub singulis locorum nominibus, ordine Alphabetico collocatis, situm ex mente Ptolemaei indicat, addito non solum Libro et Capite textus, in quo illius fit mentio, sed et tabula, in qua ille melius possit in plano cognosci. Plurimis locis adscripta sunt uaria memoranda, maximam partem ex Martyrologiis desumta; ita tamen, ut recentioris locorum denominationis maior habeatur ratio, quam antiquae; tabulae quoque modernae Geographiae saepius citentur: quibus forte ad tabulas modernae Geographiae, a Nic. Donis delineatas, et nonnullis editionibus post annum 1480 additas, respicitur. Tractatus hic, ut et alius mox subsequens, XIII. folia comprehendens, Nicolaum Donis habet auctorem. Vltimae paginae inscriptus Annus 1502. utpote quo anno Codex hic fuit ad finem perductus. De utroque Libro, ut et de auctore, infra pluribus differendi dabitur occasio.

§ 5.

Alterum ab hoc Codice locum tribuo exemplo Treuirensi, cuius meminit Petrvs Montanvs, in *Praef. ad edit. Ptolemaei Graeco-Latinam, Amstelodami* 1605. et 1618. in fol. excusam. Nactus erat istud beneficio Reue-

Reuerendissimi et Illustrissimi Principis Electoris, *Iacobi ab Elz*, *Archipraesulis Treuerensis* : sed aetatem Codicis non distincte indicat; nisi quod, cum mandato NICOLAI de CUSA, *Cardinalis*, ex ipsomet Iacobi Angeli Autographo, descriptum esse, dicat. Forsitan Montanus NICOLAI DONIS laborem intelligit, nomenque eius cum nomine Nicolai de Cusa commutat. In reliquis Germaniae Bibliothecis plura adhuc latere Exempla manu exarata, plane mihi persuadeo; de quibus autem nihil certi constat. In Italia, praeter ipsum Angeli Autographon, de quo supra dictum erat, IO. BAPT. FICHETUS, Ciuis Patauinus, THOMASINO teste, in *Bibliotheca Manuscripta Patauina*, *Vtini* 1639. in 4. edita, p. 124. inter rariores Bibliothecae suae Codices, habuit Cosmographiam Ptolemaei, in papyro scriptam, in fol. Quamuis enim Thomasinus non distincte indicet, num Graecus Codex sit, an uero latinus, ex uocabulo tamen Cosmographiae eum latinum esse coniicio; quoniam in Graeco textu uox Geographia adest, quam Angelus per Cosmographiam expressit. MABILLONIUS Venetiis, in Bibliotheca Monasterii Canonicorum Regularium S. Antonii, in Castello, uidit Latinam Versionem Geographiae Ptolemaei, a Iacobo Angelo concinnatam; uid. eius *Museum Ital.* T. I. L. I. p. 37. Sed cum hoc Monasterium, cum integra Bibliotheca, optimae notae Codicibus referta, ante annos plus minus sexaginta, igne fuerit consumta, fortasse et hic Codex periit. Mentionem eius factam fuisse uideo a I. A. Fabricio in Bibl. Graec. Lib. IV. pag. 413.

## §. 6.

Relictis aliarum Regionum Bibliothecis, ad Anglicanas peruenio, in quibus uaria reperiri Exempla, manu exarata, testatur *Catalogus MStorum Angliae et Hiberniae*, supra laudatus. Sic e. g. T. I. P. II. n. 2178. mentio fit, inter Codices MStos Collegii Mariae Magdalenae, Ptolemaei Cosmographiae, cum Epistola ad Alexandrum V. a Iacobo Angelo data: itemque alius l. c. n. 1905. inter Codices Collegii Etonensis, sub arce Windsoria, maioris formae: a quo diuersus qui inter Codices Isaaci Vossii n. 2395. refertur. Inter Libros autem Roberti Burscough, teste eodem Catalogo, n. 7699. fuit exemplum pariter Versionis Iac. Angeli,

Belgicae Bibliothecae non plane destituuntur eiusmodi Codicibus. In sola enim Lugdunensi, testante Catalogo p. 372. b. bini habentur Codices Chartacei, inter MSS. Bibliothecae Vossianae: unus comprehendit Cl. Ptolemaei Cosmographiam Libris VIII. ex uersione Iac. Angeli, cui praemittitur dedicatio ad Alexandrum V. Pontificem Maximum; alter p. 374. commemoratus, forte ab eo non differt, quamuis l. c. Inscriptiones saltem Iacobi Angeli, Alexandro V. Pontifici Maximo dicatas, cum Indice Geographico, comprehendere dicatur. Praeter enim Cosmographiam non alius, Iac. Angeli Liber inscriptionum Pontifici Alexandro V. dicatus, innotuit; hinc librarium in describendo errasse coniicio, et, loco uocis Inscriptionum, legendum esse Descriptionum (scil. Geographicarum) puto: quam tamen coniecturam nemini obtrudo.

# CAPVT IV.

## DE SPLENDIDISSIMO CODICE LATINO EBNERIANO.

§. 1.

ENumeratis hucusque omnibus, quotquot inuestigare potui Geographiae Ptolemaei Codicibus manu exaratis, ad splendidissimum EBNERIANVM nunc peruenio, utpote qui primus occasionem huic scripto dedit. Cum autem illius accuratius perlustrandi copia a PERILLVSTRI DN. POSSESSORE mihi facta sit, descriptionem dabo, non qualem Codicis dignitas postulat, sed qualem fandi imbecillitas permittit. Exemplum hoc in membrana, formae maioris, siue ut loqui amant, Regalis, elegantissime conscriptum, crassitie duos adaequat pollices, foliaque continet CIII. Ligatura constat ex corio Vitulino, quod uariis inauratis lineis et circulis exornatum. Eae Ligaturae partes, quibus fibulae sunt annexae, ex panno confectae sunt serico, intertexto auro: ex quo sane colligitur, primum Libri possessorem, uirum haud fuisse uulgaris sortis.

§. 2.

Vberius id probare censeo insignia, in margine inferiore, primi statim folii, conspicua. Olim enim moris erat, insigniorum insignia hospi-



*ad Cap. IV. § 2 p. 27.*



hoſpitum foribus praefigere, docente *Barthio ad Lib. IV. Thebaid. Statii* pag. 954. Quid igitur impedit, quo minus credamus, haec, quae in ſplendiſſimo EBNERIANO Codice occurrunt inſignia, eius primum prodere poſſeſſorem. Nam eruditi, prae aliis opibus ualentes, conſueuerant olim inſignia, elegantiſſimis expreſſa picturis, Libris, qui aliquo eſſent pretio, praefigere; id quod praeter alia innumera exempla, ex S. R. DN. *Cypriani Catal. Bibl. Gothanae* p. 20. NESSELII *Catal. Bibl. Vindobon.* P. V. p. 4. 5. P. VII. p. 73. 74. 102. et Lib. IX. ap. *Schelhorn. in Amoenitat. litterar.* T. V. p. 104. patet. Ipſa Codicis EBNERIANI inſignia exhibent conſpiciendum ſcutum, fere quadrangulum, in cuſpidem deſinens, et corona laurea circumdatum; cui telamonis loco, ut uocant Heraldici, adeſt genius, ſiue Angelus, deſuper dextra tenens coronam, ſiniſtra uero ſcutum coronae huic incluſum. In ipſius ſcuti parte inferiore tres apparent montes, ex quorum medio, inter duos eminente, ſurgit arbor, eaque ni fallor laurus. Intra coronam, alteri ſcuti lateri adſcripta eſt litera L.*) alteri uero B, quibus literis, primus Codicis Poſſeſſor ſine dubio deſignatur.

### §. 3.

Scripturam Codicis ſi reſpiciamus, litterae quorumuis Librorum et Capitum initiales, ſunt auro uariisque coloribus artificioſiſſime pictae; quam pingendi artem nonnulli deperditis hodie accenſent. Vid. MONTFAUC. *Palaeogr. Graec.* L. I. C. V. et M. GUHLINGII Diſſ. de Autographis ueterum p. 6. ſeq. Reliqua Scriptura uenuſta quidem accurataque eſt, nec tamen Seculum XV. excedit: id quod partim cognoſcitur ex aetate, qua Tabulae Codici adiectae ſunt delineatae, partim uero ex Scriptura ipſa, quae ubiuis fere conuenit cum Criteriis, a REVERENDISS. ABBATE GOTTWICENSI, in *Chron.* L. I. C. VI. §. 3. et 4. p. 62. et celeb. STRVVIO in *actis litterar. e MStis erutis* T. I. Faſc. I. pag. 30. Seculo XV. adſignatis.

### §. 4.

Hiſce generatim obſeruatis ad ipſam operis dedicationem procedo, quam altera ſtatim exhibet pagina. Omnes fere Codices Latini, qui adhuc ſuperſunt, eam perhibent ad Pontif. Max. Alexandrum V. eſſe directam: in Codice uero EBNERIANO haec leguntur dedicationis uerba initialia:



*) Im Stiche sehe ich ein deutliches E, nicht L. Das Wappen hat Ähnlichkeit mit dem Pirckheimerischen.
Dieser Codex wurde aus d. Ebner: Bibliothek versteigert; er ist im 1. Bande d. Auct. Verzeichnisses v. J. 1812. auf S. 44 unter No. 381. verzeichnet u. gieng für f 113 weg.

# BEATISSIMO PATRI INNOCENTIO QVINTO PONTIFICI MAXIMO IACOBVS ANGELVS.

Errorem a librario fuiſſe in deſcribendo commiſſum, ii coniicient, quibus ſeries Pontificum Romanorum eſt cognita. *Innocentius* enim, qui uulgo *quintus* audit, iam A. 1276. diem ſuum obiit, Iacobus uero Angelus ſub initium Seculi XV. floruit. Sed refragantibus quamuis tot aliis Codicibus, auctoritatem tamen EBNERIANI ex parte ſtabilire poſſumus. Etenim, non omnes inter ſe conueniunt, in numerandis Pontificibus: imo ipſi Pontifices interdum dubitant de numero nominibus ſuis adiiciendo; quale exemplum in Benedicto XIII. noſtro tempore occurrit. Num enim is *decimus tertius*, an uero *decimus quartus* debuerit ſalutari, initio haerebant: et recte quidem, quoniam Innocentius VII. in Diplomate ap. VGHELLIVM *Ital. Sacr.* T. IV. p. 806. Benedictum, qui Antipapam habebat Gregorium XII. iam decimum tertium appellarit. Forte igitur, ſi coniecturis locus dandus, Iacobus Angelus, qui munus Secretarii ab Innocentio petierat, teſte LEONH. BRVNI *Aretini* L. I. *Epiſt.* I. pag. 1 et 2. *edit. recentiſſ. Hamburg. de A. 1724.* obtinendi illius cauſa, Pontifici hunc ſuum laborem inſcribere uoluit: quo fatis functo, et Verſione nondum ad finem perducta, Alexandro V. eam dedicauit, cuius nomen in omnibus expreſſum legitur Codicibus. Librarius autem EBNERIANVM deſcribens exemplar, retento numero, Alexandri nomini, in ordine Pontificum, conueniente, nomen Innocentii ſubſtituit, adeoque errorem commiſit. Id quod eo magis probabile mihi uidetur, quoniam ad titulos librorum aut dedicationum deſcribendos, antiquiſſimis temporibus adhibebantur Chryſographi, qui eos membranae purpureae literis inſcribebant aureis, referente MONTFAUC. in *Palaeogr. Graeca* L. I. C. I. p. 4. ſeq. et diuerſi erant a Calligraphis. Hi aut nimis incurii aut aliis rebus intenti, facile errare potuerunt; ut plura exempla, in aliis Codicibus obuia, docent. Cum igitur in memorato Codice EBNERIANO ea pars membranae, cui uerba, ſuperius adducta, deprehenduntur inſcripta, minio ſit picta, primae autem Calligraphiae indicia adhuc pelluceant, facile fieri potuit, ut Chryſographus tincta iam membrana, ueri nominis oblitus, aliud loco eius ſubſtituerit.

§. 5. In-

§. 5.

Inscriptionem hanc ipsa sequitur dedicatio: quam, cum in Bononiensi, aliisque extet editionibus, huc transcribere nolo. Excipit eam textus ipse, complectens ueram et genuinam Iacobi Angeli uersionem; quae in Romana et reliquis editionibus nonnihil fuit emendata, in sola autem Bononiensi editione, quantum ego coniicio, incorrupta legitur. Causa uero emendationis in plerisque editionibus fuit diuersitas meridiani: Ptolemaeus enim secundum Meridianum Alexandrinum omnia loca dimensus est, reliqui uero recentiores Mathematici rationem computationis Ptolemaei non habuerunt: inde Ptol. adeo fuit mutatus, ut, cente *Erasmo, in Praef. ad Edit. Basil. Graecam*, eos numeros, quos Ptolemaeus tradidit, quam maxime corruptos hodie habeamus.

§. 6.

Considerata nunc prima splendidissimi EBNERIANI Codicis parte, scil. textu, ad alteram, quae tabulas Geographicas comprehendit, pedem promoueo. Istae collocatae deprehenduntur post ultima uerba Capitis II. ex Libro VIII. hincque capita reliqua, tabulas ipsas, earumque dispositionem concernentia, quae in omnibus fere editionibus Graecis pariter ac Latinis reperiuntur, in laudato Codice deficere uidentur; sed sciendum, unius cuiusuis tabulae auersae parti eas esse inscriptas, maioris forsitan causa euidentiae. Ante uero quam ipsas tabulas accuratius considerem, dispiciendum est, quid sibi uelint ista uerba, quae sub finem Cap. II. ex Libro VIII. leguntur. Sunt ea, aureis literis, in parte membranae minio tinctae scripta, sequentem in modum: *Nunc sequuntur Tabulae per Nicolaum Germanum.* Quis fuerit iste Nicolaus, obscurum est, Germanum eum fuisse ex cognomine patet; quale uero ei fuerit nomen gentilitium, aut quae patria, ex uerbis Codicis haud licet cognoscere. Quod si alios euoluamus Scriptores, tantas deprehendimus opinionum diuersitates, ut aliquid certi statuere sit difficile. Princeps ille Graecae literaturae I. A. FABRICIVS, in *Bibl. Graec.* L. IV. p. 413. mentionem faciens Geographiae Ptol. Romae 1482. apud Nicol. Hahn impressae, in not. subiuncta haec habet: *Hunc puto esse Nicolaum Donis, quem Vossius de scientiis Mathematicis p. 413. e Ficino tradit, A. 1470.* (*f*) *emisisse in Cosmographiam Ptolemaei opus mirandum*,



(f) Clariss. *Annal. Typograph.* Conditor, MAITTAIRE T. I. p. 167. not edit. prior. eundem citans locum, forte ex errore typothetae aut Librarii 1480. annum posuit.

*dum, cum nouis tabulis.* Eandem quoque sententiam amplectuntur Viri de Ecclesia pariter, ac re literaria meritissimi, I. F. REIMANNVS in *Introd. ad Histor. litter. inprimis Germanorum Sect.* III. P. II. *Quaest.* 167. p. 392. E. D. HAUBERVS *in Idea Historiae tabularum Geogr.* p. 17. in not. nisi quod hic in *addit. ad Ideam Hist. Tabul. Geogr.* p. 8. seq. ex mente celeb. I. G. DOPPELMAYERI coniiciat, per Nicolaum Donis indicari Nicolaum Cusanum, et opinionem S. R. DN D. LIEBKNECHTII, *in Programmate*, *de Hassia Mathematica* propositam, reiiciat, uel saltem in dubium uocet. At enim uero, pace tantorum uirorum, liceat mihi asserere, Nicolaum Donis diuersam esse a *Nicolao Cusano*, et *Nicolao Hahn*, si quis unquam fuit, personam; quo meo asserto neque auctoritati neque fidei illorum quicquam derogari cupio: modeste potius in sententias eorum inquiro, memor dictorum a cel. etiam post mortem I. A. FABRICIO *in Praef. ad L. I. Bibl. Graec.* FATEOR — *me nondum in omnibus potuisse mihi ipsi satisfacere; itaque gratias acturus sum ei, qui uel omissa a me uel perperam etiam posita notauerit obseruatione sua priuata, etc.* Agnouit ipse quoque S.R. HAVBERVS hunc errorem in Epistola quadam ad Rev F. I. BEYSCHLAGIVM, cuius excerptum dedit in *Sylloges Variorum Opusc.* T. I p 490. Sed quibus rationibus adductus sit, non addidit. Ego itaque rationes allegabo, et, quod diuersi plane sint, NICOLAVS CUSANVS, exinde probabo, quia diuerso hi Viri inclaruerunt tempore: Nicolaus enim Cusanus iam An. 1464 in Vmbria diem supremum obiit, quicquid in contrarium proferat HAVBERVS in addit. cit. p. 10. ex sententia DOPPELMAYERI, notatus ea propter a laudato FABRICIO *Bibl. Med. Aeui* L. III. pag. 1238. Nicolaus uero Donis 1470. adhuc claruit. Deinde neque inter opera Cusani, repetita uice edita, est relata haec uersio, neque in Catalogis Bibliothecarum unquam Cusano tribuitur. NICOLAVM uero HAHN et NICOLAVM DONIS diuersos esse probo, quoniam merita Typographi, qui typis saltem exscripsit Ptolemaeum, non sunt tanta, ut uiri maximi, quales fuerunt auctores infra nominandi, eum certatim ornarent encomiis. Neque etiam Nicolai Hahn nomen unquam inter Typographos comparet. Quamuis enim MAITTAIRE T. I. p. 167. *edit. prior.* id allegat, facile tamen cuiuis legenti patebit, eum Exemplar, a Fabricio citatum, oculis non usurpasse, sed saltem ex eo uerba instituto suo inseruientia allegasse. KRANZIVS quidem in *memorabil. Biblioth. Vratislav. Elisabethanae* p. 74 dicit, *se miratum esse exemplar Cosmographiae Ptolemaei, a Nicolao Hahn, qui primus Typographiam Italiae intulit*, Romae 1482. *membranis impressae, tabulis-*

*que*

*que coloribus interstinctis ornatae*; Sed praeterquam quod eadem uerba fere legantur apud FABRICIVM l. c. in eo erraſſe mihi uidetur KRANZIVS, Nicolaum Hahn pro primo in Italia Typographiae auctore habens; cum alii Vdalricum Hahn ſ. Gallum primum exercuiſſe Romae artem Typographicam putent, nos uero infra Arnoldo Buckinck et Conrado Sueynheym eam laudem merito tribuemus.

§. 7.

Nil igitur ſupereſt, quam ut ipſis ſcriptorum fide dignorum uerbis doceam, quis fuerit Nicolaus, qui ob ſuam in emendando et illuſtrando Ptolemaeo induſtriam, tantis praedicatur encomiis. Audiamus prae ceteris IOHANNEM TRITHEMIVM, ſcriptorem fide dignum, et ſatis accuratum: qui, in *Catalogo Virorum litteris illuſtrium p. 162. edit. Francof. de An. 1601.* ſequentia profert; *Nicolaus Donis, Monachus diui Patris Benedicti, Monaſterii, ut ferunt, Reichenbacenſis, Vir certe in ſecularibus litteris ſtudioſus et eruditus, et diuinarum Scripturarum non ignarus, Philoſophus et Aſtronomus inſignis, Coſmographiae Ptolemaei uigilantisſimus repertor, et diligentisſimus* (edit. Colonienſis de An. 1546. in 4. legit *ſagacisſimus*) *reſtaurator, ingenio praeſtans, et clarus eloquio: ſcripſit non contemnenda Volumina, quibus memoriam ſui poſteris commendauit. E quibus extat opus mirandum et celeberrimum, cum picturis et nouis tabulis elegantisſime ornatum, in Coſmographiam Ptolemaei, ad Paulum Papam II. Libros VIII. de locis quoque mirandis Librum I. Epiſtolas etiam multas, et iudicio meo non inelegantes, ad diuerſas compoſuit. Floruit ſub Friderico Imperatore III. et Paulo Papa II. Anno MCCCC LXX.* Haec iisdem ferme repetuntur uerbis in laudati TRITHEMII Tractatu, *de Scriptoribus Eccleſ.* p. 370. Ex quibus forte hauſit GESNERVS, quae in *Bibliotheca Vniuerſali* p. 519. *edit. Tigur.* de Anno 1545. habet. Quis exinde non uidet, Nicolaum Donis fuiſſe Monachum, adeoque a Nic. Hahn, Typographo, ſi quis unquam fuit, et Nic. Cuſano, diuerſum. Trithemius quidem patriam non indicat, Geſnerus autem natione Teutonicum fuiſſe dicit: ut proin nullus dubitem, Nicolaum Donis et Nicolaum Germanum eſſe unam eandemque perſonam. Si quis autem horum virorum teſtimoniis fidem tribuere nolit, ei uerba Nicolai ipſius, quae in *Praefat.* ad edit. *Geog. Ptol. Vlmenſem* de Anno 1482. et 1486 leguntur, bene penſitanda relinquo. Ibi inter alia ſcribit: *Nos cum per otium Ptolemaei ſcripta legeremus, quod a Profesſione noſtra non plane abhorrebat*, etc. Et paulo inferius, cauſas indicans, cur hoc opus Pontifici inſcripſerit, ait: *Quod* a Sacerdote *prouenit, id ad omnium Sacerdotum Archimandri-*

*mandritam referendum erit*, etc. Imo et aliud argumentum mihi ſuppetit, deſumtum ex pictura, qua prima litera dedicationis editionum Vlmenſium exornatur. In illa ſe conſpiciendum praebet Pontifex Maximus, throno inſidens, in capite geſtans diadema papale. Ante eius genua prouolutus iacet Monachus, porrigens librum; quae certè Nicolaum Donis, Monachum ordinis Benedictinorum, dedicantem et offerentem Pontifici Maximo librum a ſe emendatum, indicare mihi uidentur. Ex mea igitur ſententia Nicolaus Donis nonnulla in uerſione Iacobi Angeli correxit, quod inſtituta exemplarium collatio docebit: deinde tabulas Geographicas, quas iam Agathodaemon ex mente Ptolemaei delineauit, expreſſis nominibus urbium et locorum latinis, conuertit, emendauit, et Eſtenſi Ferrariae Principi g) obtulit; in quibus tamen, uti ſe ipſe fatetur, *nulla in re a Ptolemaei intentione, licet a pictura, diſceſſit.* Ex hoc Auctoris autographo Florentiae aſſeruato, et nitidiſſime ſcripto, cum ars Graphica in ſolis fere Monaſteriis fuerit exculta, plura fuere deſcripta exempla; quorum unum peruenit ad manus *Leonardi Hol*, ciuis et typographi Vlmenſis, qui iſtud, una cum tabulis ligno inciſis, typis imprimi curauit. Nullibi legimus, quod Iacobus Angelus uerſioni ſuae ullas adiunxerit mappas Geographicas; Nicolaus potius Donis de ſe ipſo teſtatur, *quod mundum tali delineauerit modo, quali ante eum nemo, cum e. g. magnitudinis Inſularum rationem habuerit*; is igitur pro primo Geographiae tabularis reſtauratore merito habendus, ac cum cautione legenda, quae habet I. A. FABRICIVS et REIMANNVS locis ſupra citatis. Addatur eiusd. FABRICII *Bibl. med. aeui* T. V. p. 350.

§ 8.

Sed pergendum eſt in ulteriori Codicis EBNERIANI recenſione: cumque hactenus de auctore tabularum ipſius egerim, nunc ad ipſas tabulas propius conſiderandas procedam. Hic autem non repetam, quae in ſuperioribus de Agathodaemonis cuiusdam tabulis diſſerui; quae uel longitudine temporis, uel incuria deſcriptorum, adeo fuerunt deprauatae, ut uix quicquam priſtini decoris ſuperfuerit, nec nomina urbium et locorum amplius dignoſci a ſe inuicem potuerint. Hinc Nicolaus Donis f. Germanus eas correxit, nomina locorum Graeca latine reddidit, ſitum ac magnitudinem Inſularum indicauit; ordine tamen tabularum Aga-

g) forte etiam Viris illius urbis eruditis. Digna eſſet integra praefatio, quae adponeretur, niſi chartae eſſet parcendum.

Agathodaemonis ita seruato, ut non plures quam XXVII. delinearet tabulas; totidem scil. quod egregii Codices, Viennensis et Venetus, ostendunt, quotque etiam EBNERIANVS Codex habet. Huius autem tabulae uariis Coloribus, non oleo, sed aqua gummique temperatis, distinctae; ita, ut color ille coeruleus, ultramarinus dictus, mare uel fluuios in mare descendentes, rubeus, flauus, aut alii, pro earum diuersitate Insulas designet. Gradus longitudinis et latitudinis extremis tabularum limbis, auro obductis, buxeo sunt colore inscripti. Nomina Regionum Prouinciarumque litteris aureis aut rubris, iisque maioribus, urbium uero et oppidorum tantum atramento, sed diuersi nigroris, significantur. Quo etiam situs locorum accurate potuerint indicari, lineae in membrana perpendiculariter et transuersim sunt ductae; quarum uestigia in Codice adhuc deprehenduntur. Praeterea et hoc mihi uidetur consideratione dignum, quod urbes, prae aliis maiores, semper puncto maiori aureo, minores uero circellis tantum minusculis, atramento ductis, indicentur.

§. 9.

Ordinem tabularum Codicis EBNERIANI quod concernit, is cum Agathodaemonis tabulis idem fere est; prima enim sistit uniuersum orbem, tunc temporis cognitum, secunda Insulas Albiona et Hiberniam, et sic porro, secundum seriem, quam ipse Ptolemaeus Libro VIII. seruauit. Reliqua enim Capita Libri huius, inde a secundo, auersae tabularum parti sunt inscriptae: ut scil. quaeuis tabula textum ipsum, ad quem delineata sit, facilius ostendat. Vltima tabula ultimam quoque Periodum dicti libri sistit; qua finita nihil amplius de anno aut die, quo hic Codex descriptus, nihil de ipso autographo, ex quo desumtus, nihil denique de Calligrapho, ipsi adiectum legitur. Quantum autem ex hucusque commemoratis licet conjicere, post inuentam demum Typographiam Exemplar, EBNERIANVM manu exaratum fuisse arbitror; Nicolaus enim Donis, auctor tabularum, floruit circa annum 1470. post idem tempus igitur, uel ex autographo, uel ex alio exemplari fuit descriptum: ita tamen, ut inter annum iam dictum, et inter annum scriptionis, haud multum temporis intercciderit.

# CAPVT V.

## DE GRAECIS ET GRAECO-LATINIS PTOLEMAEI GEOGRAPHIAE EDITIONIBVS.

§. 1.

Recensitis hucusque uariis Geographiae Ptolemaei Codicibus manu exaratis, tam Graecis, quam Latinis, ad ea progredior Exempla, quae typis sunt exscripta. In his recensendis ante omnia rationem habebo editionum Graecarum et Graeco-Latinarum, iisque demum Latinas, secundum seculorum seriem, in Capitibus sequentibus, subiungam.

§. 2.

Mirantur haud pauci inter eruditos, cur auctor, tantopere a uiris elegantiorum literarum amantibus aestimatus, raritsime Graecus compareat; cum tamen fere uiginti exempla manu scripta, in diuersis Europae extent Bibliothecis. Quod si uero causam tantae raritatis scrutari uelimus, in eo positam esse deprehendemus, quoniam uix quater textus Graecus typis est exscriptus. Ipse, multis in rem literariam meritis clarissimus I. A. Fabricivs *in Bibl. Graec.* L. IV. C. XIV. §. 2. tres saltem allegat Graecas editiones, quarum tamen una uersionem latinam in margine habet adiectam: non autem refert, quid in unaquaque sit notandum, aut quibus in rebus una alteram antecedat. Cum uero mihi ipsi contigerit, singulas euoluere, breuem earum notitiam suppeditabo.

§. 3.

Primus, qui obstetricias praebuit manus textui Graeco in lucem proferendo, magnus ille fuit Erasmvs; cui Theobaldvs Fettichivs a) *Medicus Ingolstadiensis*, magni nominis, Codicem, quem possederat, manu exaratum, misit euulgandum. Hic Anno 1533. in forma quater complicata typis *Frobenianis*, textum saltem Graecum, sine ulla Versione, aut explicatione latina, excudi iussit, eumque Fettichio, in grati animi testi-

a) De Fettichio multa proferre promisit Apostata ille notissimus, Rud. Mart. Meelfuhrervs, in Diss. qua sistit *Germaniam Orientalem* §. 9. qui, dum promissis non stetit, Almelouenii Bibl. promissam et latentem, a se continuatam, adauxit.

teſtificationem, dedicauit. b) Laudat in ea Eraſmus humanitatem Fettichii, qui gratis typographo Graeci voluminis fecit copiam, nomenque Theobaldi, a tot millibus ſtudioſorum celebratum iri, dicit. Dolet praeterea, tam uetuſtum auctorem neminem tot ſeculis fuiſſe nactum, a quo pro dignitate latinis auribus traderetur. A duobus enim interpretibus c) male eum fuiſſe tractatum, rem ipſam loqui; et Pirckheymeri laborem, utpote perfectiſſimum, inchoatum quidem fuiſſe, ſed non ad finem perductum. Optat igitur, ut a uiro docto ſuſcipiatur labor utiliſſimus, emendenturque numerorum notae, a librariis mirum in modum deprauatae. Haec ſumma eſt dedicationis; quam excipit textus Graecus, multis ſcribendi compendiis refertus; adeo, ut uix, niſi a linguae Graecae ualde perito, legi poſſit. Tabulae huic editioni non ſunt additae; quoniam Ptolemaeus nullas reliquit, ſed Agathodaemon tantum addidit. Sumtus huic libro imprimendo ſuppeditauit praeter *Hieronymum Frobenium*, *Nicolaus* quoque *Epiſcopius*, uti ſubſcriptio Graeca in ultima pagina, docet.

§. 4.

Vix tredecim praeteriere anni, cum Chriſtianus Wechelus, clariſſimus ille Pariſienſium typographus, Anno 1546. in eadem forma, textum rurſus Graecum, in officina ſua excudi iuſſit: eruditis ſentientibus fructum, ex lectione huius auctoris ad illos redundantem. Rariſſimis libris haec editio merito eſt annumeranda; ſiquidem in pauciſſimis Bibliothecarum Catalogis mentio eius occurrit. In Biblioth. Lugdunenſi adeſſe exemplar, teſtatur Catalogus p. 314. Fabricius quoque eam l. c. allegat: nec minus in Bibliotheca Incluti Senatus Lipſ. exemplar aliud extat, quod ſupra Cap. II. §. 11. uberius deſcripſi.

§. 5.

Praeter has binas editiones Graecas non alia mihi occurrit. Seculo tamen ineunte XVII. textus Graecus typis rurſus fuit mandatus, addita ſimul uerſione latina. Mira eſt apud Scriptores, in alleganda hac editione, diuerſitas: alii eam *Francofurti* 1605. in fol. excuſam eſſe dicunt, nonnulli



b) Haec Dedicatio operum Erasmi T. III. in officina Frobeniana excuſ. eſt quoque inſerta.

c) per quos forte *Iac. Angelum* et *Nic. Donis* intelligit.

nulli *Amstelodami* eodem anno prodiisse putant. Sed una eademque est editio, et Amstelodamensis, et Francofurtana. Iodocus enim Hondius et Cornelius Nicolai, quorum sumtibus ista prodiit, in officina cuiusdam Amstelodamensis Typographi, textum Graecum pariter ac Latinum, imprimi curarunt; eumque, cum tabulis a Gerardo Mercatore in aes incisis, Francofurti, in qua tunc urbe celeberrimum erat Bibliopolarum emporium, uendiderunt. Cognoscere id licet ex titulo, quem duplicem huic editioni praefigi curarunt: in uno sic legitur: *Iodocus Hondius excudit sibi et Cornelio Nicolai, in cuius officina prostant Francofurti 1605.* in altero: *Sumtibus Cornelii Nicolai et Iodoci Hondii Amsterodammi Anno D. 1605.* Ex qua duplici subscriptione colligo, Iodocum Hondium cum Cornelio Nicolai publicam habuisse officinam, et Francofurti et Amsterodami. Reliqua Tituli uerba in utroque exemplari per omnia quam accurate conueniunt, quae huc apponam: CLAVDII PTOLEMAEI *Alexandrini, Geographiae Libri octo Graeco - Latini. Latine primum recogniti et emendati, cum tabulis Geographicis, ad mentem auctoris restitutis, per Gerardum Mercatorem: iam uero, ad Graeca et Latina exemplaria, a Petro Montano iterum recogniti, et pluribus locis castigati; adiecta insuper ab eodem nomina recentia et aequipollentia, ex uariis auctoribus ueteribus, et recentioribus, magna cura collecta, in gratiam et usum Geographiae Studiosorum.* Adest huius editionis exemplar in *Bibliotheca publica Academiae Wittebergensis*, cui b. BOSIVS multa in margine adscripsit, in primis uero cum Bocharto id studiose contulit.

## §. 6.

Praefixa legitur utrique editioni *Praefatio Iodoci Hondii*, in qua merita GERHARDI MERCATORIS recenset, eiusque in studio Geographico ardorem laudibus extollit. Hic enim eximius Vir, animum ad repurgandas Agathodaemonis, uel potius Nicolai Donis, in Ptolemaei Geographiam, tabulas, adiecit, easque 1578. Coloniae publici iuris fecit. Post eius obitum Iodocus Hondius, ut alias Mercatoris tabulas, ita et has, magno aere redemit. Audiamus ipsum Hondium, de occasione editionis huius, in Praefatione sic disserentem; *Huius Mercatoris* d) *Tabulas omnes, priscas*


d) GERHARDVS MERCATOR *Rupelmundanus*, obiit Duysburgi 1594. aetatis suae anno 82. Vitam illius dedit GVALTH. GLYMNIVS, quam praefixam leges Tomo II. Atlantis a Iod. Hondio editi, ex qua forte plurima descripsit MELCH. ADAMI in *Vitis Philos. Germ.* Vol. I. p. 392. conf. PANTALEON, *Prosopog.* P. III. BOISSARD, *Icon.* P. IV, n. 46, et alii.

*prisca et recentes, ingenti aere ab haeredibus coëmtas, cum in uulgus edere decreuissem, (intelligebam enim, iam pridem exemplaria desiderari,) ratus sum, me et ipsius nomini et publico consulturum, si cum Viris, istarum artium peritis, consilium caperem. Itaque et alios complures, et inter alios Cl. Virum D. Petrum Bertium, Philosophiae in illustri Batauina Professorem, qui mihi unus instar omnium fuit, adii, compellauique. Is mihi auctor fuit, ut a Ptolemaicarum tabularum editione auspicium feliciter facerem — Suasit idem, ut Graeca cum Latinis darem; ad latus nomina recentia, Europaeis nostris usurpata, adiungerem, simulque adnotarem ex Strabone, Mela, Caesare, Tacito, Itinerario Antonini, aliisque, nominum diuersitates. Etsi uero consilium placeret, (quid enim salubrius excogitari potuit,) sentiremque, me in uocum recentiorum nomenclatura a Villanouano, et aliis, haud leuiter adiutum: tamen, quia uariantium nominum collectio, infinitam ferè lectionem obseruationemque requirebat, et me alia alio uocabant, putaui, hanc prouinciam alteri alicui esse demandandam. Obtulit se autem mihi affinis meus, D. Petrus Montanus, homo, (absit dicto inuidia,) Graece Latineque eruditissimus; qui et laborem istum in se recepit, et Latina cum Graecis collata examinataque, ubi opus fuit, (fuit autem locis complurimis) emendauit. Multà enim in Latina uersione deprauata, nonnulla addita, non pauca omissa, multa transportata reperit*, etc. Ex quibus facile est iudicare, editionem hanc ceteris esse praeferendam; non solum ob industriam, in emendandis Tabulis a Mercatore adhibitam; sed et ob collationem textus Graeci, cum aliorum Geographorum antiquorum scriptis. Hanc Hondii Praefationem excipit alia Gerardi Mercatoris: ea nempe, quae in editione Coloniensi de Anno 1584 legitur, et index omnium locorum, quae in Ptolemaei libris occurrunt, suasu DN. DAMIANI QVADI, *Domini in Landskron*, a *Gerh. Mercatore* concinnatus. Lubens praetermitto uaria Poemata, a Viris eruditissimis in hunc Petri Montani et Iod. Hondii laborem consignatis; et effigiem Ger. Mercatoris, a *Bernardo Furmerio* carmine celebratam. Textus Graecus paucissimas habet abbreuiaturas, latinus satis est accuratus, et Graecarum uocum significatum omnino exhaurit. De Tabulis nihil in praesenti addam, cum paulo copiosius in sequentibus de iis disseram.

§. 7.

Diuersae ab hac edit. sunt aliae 1618. Amstelodami, Lugduni Batauorum, et Francofurti excusae; quarum, ut in aliis Bibliothecarum Catalogis, sic et Bodlejanae P. II. p. 83. fit mentio. Sed sciendum est, errorem ortum traxisse ex diuersa subscriptione. Isaacus enim Elzeuirius, typographus

graphus Lugdunenſis, ex cuius officina prodierat haec editio, nomen ſuum in ultima expreſſit pagina; Iodocus autem Hondius, ſumtus ſuppeditans, in prima pagina: qui et Amſtelodami et Francofurti officinam habuit librariam. Igitur pro una diuerſae hae tres editiones ſunt habendae. Quantum ex relatione amicorum intellexi, (ipſi enim mihi iſtam editionem inſpicere non licuit,) additae ſunt uariae lectiones, ex Codice Heidelbergenſi deſumtae; itemque teſtante FABRICIO l. c. p. 413. *Itinerarium Antonini*, et *Burdegalenſe*, cum *Tabula Peutingeriana*; qui uero nonnhil errauit. Inſerta enim fuit integra editio, ſeparatim quoque uendita, Tomo I. Theatri ueteris Geographiae, a *Petro Bertio*, Chriſtianiſſimi Regis Galliarum Coſmographo, 1618. et 1619. editi, et duobus tomis abſoluti: in cuius operis tomo poſteriori, citati a Fabricio auctores, cum aliis habentur. Etſi uero tanto ſtudio, tantaque diligentia, haec editio fuerit reuiſa, IOHANNES tamen GRAVIVS, referente FABRICIO p. 414. in ea multos animaduertit errores, conferendo iſtam cum quodam codice MSto. Vtrum uero error ſemper fuerit in MSto, an uero in impreſſo, ii iudicent, quibus editionem *Grauianam*, in qua dedit deſcriptionem Ptolemaicam Arabiae, accurate cum aliis conferre licet exemplaribus; quibusque obſeruationes Aſtronomicae ſunt perſpectae atque cognitae. Haec Arabicae Petraeae deſcriptio cum tabula urbium inſignium eiusdem Ptolemaei inſerta eſt Tomo III. *Scriptorum Minorum Geographicorum*, *Oxoniae*, e theatro Sheldoniano 1712. in 8. edito. Tabulam urbium HVDSONVS cum impreſſis et MStis exemplaribus diligenter contulit, uariasque lectiones in inferiore margine annotauit: quibus multa Ptolemaei loca emendantur.



CA-

# CAPVT VI.

## DE EDITIONIBVS GEOGRAPHIAE PTOLEMAEI LATINIS, SECVLO XV. IMPRESSIS.

§. 1.

NOn multo post inuentam, et nonnihil excultam artem typographicam, eruditi operam nauarunt, optimae notae libros, in lucem publicam protrahere, et ab interitu liberare; quare studia non parum fuerunt amplificata, eorumque cultoribus facilior, comparandi sibi libros utilissimos, via monstrata. a) Quoniam uero ob defectum typorum Graecorum, primi illius artis inuentores, et amplificatores, Graecos auctores, ad literarum studia non minus quam latinos, necessarios, prelis suis subiicere non potuerunt b) hinc operam dedere, ut libros Graecos, in latinam linguam translatos, eruditis potuerint legendos exhibere; quorum Catalogum, sed ualde imperfectum, dedit, Vir de Ecclesia ac literis insigniter meritus, DN. VAL. ERN. LOESCHERVS in *Stromat.* p. 277. 278. Inter eos fuit Cl. Ptolemaei Geographia, liber ab eruditis ualde expetitus, cuius uersionem latinam Dominicus de Lapis, ciuis Bononiensis, primus omnium dedisse typis impressam uidetur.

§ 2.

Extat huius editionis Exemplar in Bibliotheca Acad. Lips. Paulina, quod Cl. M. BÜTTIGIVS, pro sua humanitate, perlustrandum mihi, Lipsiae abhinc aliquot annis uersanti, concessit. Dabo subscriptionem, sub calcem libri legendam: *Hic finit Cosmographia Ptolemaei, impressa opera Dominici de Lapis, ciuis Bononiensis, Anno MCCCCLXII. mense Iunii XXIII. Bononie.* Nihil in

a) Hinc minime est frustraneus labor, quem Excell. DN. KRAVSIVS P. P. *Hist. in Academia Wittebergensi* suscepit, conscribens peculiarem libellum s. Dissertationem, *de incrementis Studiorum Seculo XV per artem typographicam* factis. Annalibus huius artis, quos meditatur, addendam: quam eruditus orbis frustra hucusque expectauit.

b) Quod si enim quaedam saltem uoces graecae in latinis libris occurrerunt, eas non raro deprehendimus aut calamo libris insertas, aut integris tabellis ligneis insculptas, aut lineae spatio uacante omissas, aut deuique typis ualde rudibus expressas. Conf. MAITTAIRE *Annal. Typograph.* T. I. ex edit. secunda, p. 21.

in hac subscriptione uidetur esse omissum, quod ad notitiam illius tam ratione anni, quam loci impressionis, ac typographi, pertinet. Quod si uero celeb. Maittaire T. I Annal. Typogr. ex edit. secunda, p. 218. et 379. euoluamus, uidemus, hunc diligentissimum Historiae artis Typographiae scrutatorem, non antiquiorem potuisse inuenire librum, a Dominico de Lapis excusum, quam Benedicti di Nursia opus ad conseruationem sanitatis, et Gerardi Cremonensis theoriam Planetarum: quorum prior anno 1477 posterior uero 14. - - in officina illius fuit impressus; nec etiam alii curiosi, Antiquitates artis typographicae inuestigantes, reperiere libros, aut eundem, aut paulo antiquiorem annum referentes. Hinc monente Excell. SCHWARZIO, Praeceptore meo pia mente colendo, uitium, in indicando anno, irrepsisse typographicum putabam; in qua sententia firmarunt me aliae quoque rationes, 1.) enim in euoluenda hac editione, deprehendi in cuiusuis paginae limbo inferiori custodes, quibus hodienum utuntur typographi, confusionis foliorum euitandae causa: quorum originem supra laudatus D. Loescherus refert ad annum 1474. uid. ej. Stromat. p. 285 Cl. Maittaire uero ad Annum 1486. Annal Typogr. T.I.p. 97. 2.) sub finem totius libri habetur Registrum pro Bibliopegis; quod cum signaturis ad limbum paginae inferiorem, eandem habere originem putat Loescherus l. c. 3.) eodem anno ne quidem in celebrioribus Germaniae ciuitatibus, aut Romae, ars typographica exercebatur, multo minus Bononiae. Vnicus Nicolaus Ienson putatur, sub id tempus, artem typographicam intulisse Italiae: Maittaire l. c. p. 6. Sed ne hoc quidem omni caret dubio: vid. Loescherus l. c. p. 146. 4.) Non omnibus subscriptionibus eiusmodi tuta fides est adhibenda; in multis enim unum alterumue omissum esse numerum denarium aut centenarium, docent Maittaire l. c. p. 2. in not. et Loescherus l. c. p. 142. seq. 5) Iidem uiri, quorum in Praef. huius editionis tabulis praefixa, fit mentio, quique typographum in adornanda ea adiuuerunt, sub finem demum Seculi XV. uixerunt. Inde his adductus rationibus concludo, binos in subscriptione finali omissos esse numeros denarios, et legendum annum 1482. Cum enim ante annum 1477. Dominicus de Lapis, testante MAITTAIRE l. c. non excuderit libros Bononiae, ad tam grande uero opus perficiendum, inprimis tabulas aeri incidendas, multo labore et tempore opus habuerit, et non facile primum artis suae documentum illud esse uoluerit; hinc facile argumentum pro stabilienda mea sententia peti poterit; quam pro uera assumo, donec probetur contrarium.

§. 3. Misso

1482

§. 3.

Misso dubio, de anno impressionis, ad reliqua huius editionis memoranda pergo. Textum ea continet latinum, ex uersione Iacobi Angeli, cuius praefatio in frontispicio libri legitur: cum aliis editionibus aut Nicolai Donis, aut aliorum Praefationes sint praefixae. Signaturas in limbo cuiusuis paginae inferiori, et Registrum pro Bibliopegis, sub finem operis deprehendi, supra iam monui. Textum excipiunt tabulae, quarum index praemittitur; suntque numero XXVII. Quae, tam in textu, quam in tabulis, a uiris eruditis, adiuuantibus hanc editionem, sint praestita, docent uerba, eidem cum indice paginae inscripta, quae ob raritatem libri appono. *Tabulas Cosmographiae, secundum dimensiones Ptolemaei impressas, tibi, quisquis es, nobilium operum studiose, non solum ob eam rem commendo, quod ex excellentissimi Ptolemaei scientia manarunt; sed multo magis, quia et Characteres et figurae tanta sunt diligentia correctae, ut non multo plus Ptolemaeo ob primam compositionem. quam nouo correctori, ob emendationem congruam, debere uideamur.* c) *Nam frustra suo coelesti ingenio Ptolemaeus scientiam mundo reliquisset, nisi praeteritorum seculorum ignorantia simul ac temeritate, corruptos eius Codices, et peruersas confusasque tabularum figuras, noua corrigentis industria, sincera fides, ad ipsius auctoris dignitatem reuocasset, et Ptolemaeum non modo ceteris hominibus, sed ipsi quoque Ptolemaeo restituisset. Accedit mirifica imprimendi tabulas ratio; cuius inuentoris laus nihil illorum laude inferior, qui primi literarum imprimendarum artem pepererunt, in admirationem sui studiosissimum quemque facillime conuertere potest. Opus utrumque summa adhibita diligentia, duo Astrologiae peritissimi castigauerunt, Hieronymus Mamfredus* d) *et Petrus Bonus* e.) *Nec minus curiose correxerunt summa eruditione praediti, Galleotus Mar-*



c) Errat auctor Praefationis, quisquis ille sit; cum Ptolemaeo tabulas tribuit, quas Agathodaemonem composuisse supra uidimus.

d) Conf. de Mamfredo Koenigii *Bibl. V. et N.* p. 502. qui eum uocat *Manfredum*, facile cum alio eiusdem Nominis, sequentibus temporibus claro, commiscendum. b. I. A. Fabricius in *Biblioth. Med. Aeui* T. V. p. 37. Medicum et Astronomum Bononiensem eum uocat, et scripsisse dicit Centiloquium, de Medicis et infirmis; quod prodiit Bononiae 1483. Forte circa idipsum tempus Ptolemaeo emendando insudauit.

e) idem forte, ac modo laudati Fabricii Petrus Bonomus; de quo uid. l. c. p. 737. Vtrum noster Petrus Bonus idem sit, cum Petro Bono, cuius mentionem facit Koenigius l. c. p. 124. aut cum Petro Bongo, qui scripsit librum *de Numeris*, citatum in Ehingeri *Catalogo Bibliothecae Augustanae* p. 672. alii uideant.

*Martius f) et Collamontanus. g) Extremam emendationis manum imposuit Philippus Broaldus h) qui Plinii, Strabonis, reliquorumque id genus Scriptorum, Geographiam cum Ptolemaeo conferens, ut esset quam emendatissimus elaborauit.* Hanc ad Lectores Commonitionem excipiunt Tabulae XXVII. aeri incisae, sed stilo admodum rudi, ut pro primis omnium eas haberendas esse censeam.

§. 4.

primo 1475

Altero mihi loco commemoranda uenit editio Anno 1475. impressa. De anno impressionis conueniunt omnes, de loco autem diuersae sunt opiniones; sed dirimet totam litem ipsa calci libri adiecta subscriptio Typographi, quam dedit Cl. MAITTAIRE T. I. *Annal. Typogr.* pag. 349. edit. secundae: praemisso quasi titulo, a MAITTAIRE concepto. Cl. Ptolemaei Cosmographiae Libri octo, Latine, cum Epistola Angeli ad Alexandrum V. Pontificem Maximum. *En tibi Lector Cosmographia Ptolemaei, ab Hermanno Leuilapide Coloniensi, Vicentiae, accuratissime impressa. Benedicto Triuisano, et Angelo Michaele Praesidibus MCCCC LXXV. IDI. SEPT. fol.* In subiecta nota i) legitur Epistola commonitoria, Libri calci adiecta: posthaec Cl. Maittaire monet, Bunemannum, qui notitiam huius libri ex Catal. Gudian. p. 370 hausit, eum tribuere *Coloniae*, ostendens simul originem erroris. Hermannus enim LEVILAPIS, alias LIECHTENSTEIN, forte melius *Leichtenstein*, patria fuit Coloniensis, qui arti typographicae primum Vicentiae, postmodum Venetiis uacauit: docente MAITTAIRE l. c. pag. 224. Repetit superius dicta idem MAITTAIRE, pag. 774. *in not. 2.* referens libros a Prospero Marchand sibi communicatos. Exstat haec editio Viennae, in Bibliotheca Caesarea, et praeter allata a Maittaire, annotatione digna, praefationem Iacobi Angeli libro praemissam, textum 70. philyris continet, ex uersione Iacobi Angeli, nonnihil immutata; singulae autem philyrae custo-

f) Galeotus Martius, docens Bononiae bonas literas, floruit circa annum 1490. vid. FABRICIVS T. III. p. 14. 15. KOENIGIVS in *Bibl. V. et N.* p. 127.

g) forte idem est, quem SIMLERVS in *Continuat. Bibl. Gesneri* pag. 159. Colimontanum uocat.

h) Bini fuere Philippi Beroaldi; quorum unus natus Bononiae Anno 1490. senior, alter uero iunior dictus, circa idem fere tempus floruere. Seniorem hic indigitari puto: is enim totam fere uitam in lectione auctorum consumsit: uid. FABRICIVS in *Bibl. Med. Aeui* T. V. p. 851. seq. GESNERVS, *cum Epitomatore et Continuatoribus*, ac recentissime celeb. Menckenius Iunior.

ſtodibus ſ. ſignaturis in limine inferiori ſunt notatae, tabulae denique deficiunt, quas tamen aliis exemplaribus additas eſſe cenſeo. Curarunt hanc editionem *Angelus Vadius* et *Barnabas* PICARDVS VICENTINVS; qui praefationem perbreuem praemiſerunt, inſertam MAITTAIRE *Annal.* l. c. pag. 349.

§. 5.

Ad editionem ſplendidiſſimam pariter, ac rariſſimam nunc peruenio, quam in nullo hucusque Librorum aut Bibliothecarum Catalogo inueni. Poſſidet eam *Magnificus* C. G. SCHWARZIVS, Vir, de uniuerſo orbe literato meritiſſimus. Romae impreſſam eſſe, ſequens inſcriptio docet, ſub calcem libri legenda: CLAVDII PTOLEMAEI ALEXANDRINI PhiloſophiGeographiam ARNOLDVS BVCKINCK e Germania Romae tabulis aeneis in picturis formatam, impreſſit, ſempiterno ingenii artificiique monumento, anno Dominici natalis MCCCCLXXVIII. VI.IdusOctobris,Sedente Sixto IV.Pontifice Max. Anno eius VIII. Neque Maittaire, neque alii uiri, in eruendis typographiae antiquitatibus curioſi, de *Arnoldo* BVCKINCK quidquam referunt; quem tamen ex dedicatione praemiſſa penitius deinde noſcendum exhibebo. Directa eſt ea, ad Pontificem Romanum, Sixtum IV. uti ex modo allegata ſubſcriptione coniicio: nomen enim Pontificis in dedicat. expreſſum non legitur; ſed titulo ſaltem *ſanctiſſimi Patris, penes quem hominum et deorum conſenſus imperium cum rerum omnium doctrina eſſe uoluit*, compellatur. Neque etiam dedicantis nomen indicatur; quem tamen *Iohannem Andream, Alerienſem Epiſcopum*, eſſe puto: vid. MAITTAIRE l. c. p. 10. Prae ceteris ſequentia dedicationis uerba commemoratione digna mihi uidentur; utpote in quibus editionis huius continetur Hiſtoria, et ſimul artis typographicae, in urbe Romana, Hiſtoriae non nihil lucis affunditur. *Ne librariorum inſcitia tuae ſanctitatis aures offenderet, Domitius Calderinus, Veronenſis, cui huius emendationis prouintia demandata fuerat, cum uetuſtiſſimo Graeco, manu Gemiſthi* i) *Philoſophi emendato, latinos Codices ſe collocaturum* (forte melius *collaturum*) *Magiſter uero Conradus Suueynheym, Germanus, a quo formandorum Romae librorum ars primum profecta eſt, occaſione hinc ſumpta, poſteritati conſulens,* ani-



i) de *Georgio Gemiſtho Plethone*, conf. praeter KOENIGIVM in *Bibl. V. et N.* p. 339. SIMLERVS in *Continuat. Bibl. Geſneri* p. 269.



*animum primum ad hanc doctrinam capessendam adplicuit; subinde mathematicis adhibitis uiris, quemadmodum tabulis aeneis imprimerentur, edocuit, trienniaque in hac cura consumpto, diem obiit. In cuius uigiliarum laborumque partem non inferiori ingenio ac studio Arnoldus Buckinck e Germania, uir apprime eruditus, ad imperfectum opus succedens, ne, Domitii k) Conradique obitu, eorum uigiliae emendationesque sine testimonio perirent, neue uirorum eruditorum censuram fugerent, immensae subtilitatis machinamenta examussim ad unum perfecit.* Ex quibus uerbis haud immerito coniici posse puto 1.) Conradum Sweynheym solum peruenisse Romam, exercendae artis typographicae causa; *Arnoldum* uero, PANNARZ alias cognominatum, deinceps ab eo in socium laborum adscitum: *Conradus* enim solus Romanos *artem formandorum librorum docuisse* dicitur. 2.) Quamuis uarii antiquiores libri nomen Conradi et Arnoldi simul in fine ostendant, unumquemque tamen eorum separatim, emendandi cuiusdam auctoris curam gessisse, utrumque uero deinde communibus sumtibus excudisse. 3.) Cognomen uerum Arnoldi Pannarz fuisse BVCKINCK, quod hucusque a nomine obseruatum fuisse memini. *Arnoldus* enim ad imperfectum opus successit, ejusque ad finem perducendi curam egit, sumtus praeterea ad imprimendum suppeditans. Quod si diuersus ab Arnoldo Pannarz esset intelligendus, non omnes circumstantiae temporis, loci etc in eo conuenirent. 4) Per multos annos et Conradum et Arnoldum saepius allaborasse, ut editiones librorum, ab iis excudendorum, accuratae et bene elaboratae prodirent. Hinc etiam patet, cur ii Anno 1472. Pontificem Romanum supplices adierint, et ab eo petierint, ut, consumtis pene ipsorum opibus, onus paupertatis miserum amoliretur. 5.) Falli Cl. MAITTAIRE, l. c. p. 15. sine ulla additta probatione asserentem, quod Arnoldus ad annum usque 1476. typographicam artem exercuerit, cum praesens opus annum 1478. expressum ostendat. 6.) Conradum Sweynheym non soli arti typographicae uacasse, sed et alii, qua, ope tabularum aenearum, uariae figurae imprimuntur chartae; tribusque proximis ante obitum annis hac sola uictum sibi acquisiuisse. 7.) Errasse eundem MAIT-

k) Anno 1477. indict. X. Calderinus obiit. testante TRITHEMIO, *de Script. Eccles.* p. 370 edit. operum Trithemii, ex Bibl. Freheri. Catalogum Scriptorum Calderini uide in SIMLERI *Contin. Bibl. Gesneri* p. 206. et conf. FABRICII *Bibl. Medii Aeui* T. I. p. 883. ERASMVS praematurum Domitii Calderini obitum luget T. I. *operum* p. 848. sequentibus uerbis: *Quid de Domitio Calderino? Bona spes erat: ni Romanae deliciae, mox praematura mors intercepisset iuuenis bene coeptum in studiis cursum.*

Maittaire, p. 15. dicentem, quod citatus saepe Conradus non diu ultra annum 1473. uixerit; ob eam inprimis causam, quoniam libri p. 340. 347. et alibi, ab eo commemorati, nomen Arnoldi saltem gerant. Cum enim ipse Praefationis nostrae auctor dicat, Conradum aliud uitae genus elegisse; tale sibi eligendum putauit, quod a priori non plane alienum, et, exprimendo figuras tabularum aenearum in charta, uitam sustentauit. Conradus igitur, mea quidem sententia, 1476. diem clausit, sed post eius obitum Arnoldus toti operi finem imposuit: adhibitis ad imprimendas tabulas aliis uiris, a Conrado illud edoctis.

## §. 5.

Sed redeundum mihi est ad recensionem Editionis huius: in qua, sequenti statim post praefationem pagina, Index legitur Capitum Libri I. eumque ipse textus excipit latinus; qui in quam plurimis locis differt a textu Codicis EBNERIANI MSti, quae loca Domitius Calderinus forte emendauit. Eadem est ratio textus in reliquis VII. Libris. Initiales librorum literae in textu non habentur, sed spatium adest illarum loco uacuum: Capitum uero literae initiales, typo minore, et reliquo textui conueniente sunt expressae: ita tamen, ut in spatio maiori, et literis maioribus idoneo, sint collocatae. Custodes, quos uulgo uocant, in hac editione non comparent; sub finem autem libri registrum adest foliorum pro Bibliopegis, in quo primae cuiusuis folii uoces, more illorum temporum, habentur. Vid. Maittaire l. c. p. 97. 98 et Loescheri *Stromat.* p. 285. Post textum sequuntur tabulae XXVII. aeri elegantissime insculptae; adeo, ut mirum sit, eo iam tempore artem sculptoriam ad tantum perfectionis fastigium ascendisse. Imprimendarum quoque tabularum tunc temporis erat ratio pecularis: uidentur enim hodienum exemplaris huius tabulae, in ea parte, quae figuras ostendit, laeuigatae; in altera uero parte comparent uestigia lintei, quod inter imprimendum superimpositum fuerat chartae; cum hodie loco illius adhibeatur charta pura cum panno. Margini exemplaris Schwarziani, manu eruditi cuiusdam uiri, inscriptae sunt emendationes uersionis Latinae, quae ad uerbum editioni Pirckheymerianae sunt insertae. Hanc ob causam plane mihi persuadeo, Pirckheymerum usum fuisse hoc exemplari, in corrigendo textu latino; num autem uera sit haec coniectura, ii iudicant, quibus manum Pirckheymeri cum Codice nostro conferre licet. Editionem, nescio quam, Cosmographiae Ptolemaei, manu Trapezuntii correctam, asseruatam fuisse in Bibliotheca Norimbergensium publica, refert Savbertvs, in *Orat. II. de Biblioth. Norimb.* p. 64. quae uero ab hac plane discrepat.



*) Das Schwarzische Exemplar scheint in die v. Ebner'sche Bibliothek übergegangen zu seyn: wenigstens finde ich im 1. Bde des Versteigerungs Catalogs derselben (1812) auf S. 65 unter N. 480 diese Römische Ausgabe mit folg. Bemerkung angezeigt: „Multa adscripsit margini Pirkheimerus, qui olim h. librum possedit." Das Buch wurde auf f 44 – gesteigert u. dafür losgeschlagen. Im Catalogo des C. G. Schwarzischen [illegible]

§ 7.

Quarta uice Geographiae Ptolemaei uersionem latinam esse dicitur prodia 1482. Romae ex officina Nicolai Hahn, FABRICIO *Bibl Graec.* L. IV. C XII. p. 413. qui narrat, se uidisse olim illius Exemplar, membranae impressum, in Biblioth. b. Abrah. Hinckelmanni, quod postea ad manus peruenit Summe Reu. Dn. Ioh. Christ. Wolfii, Past. Hamburg. meritissimi. Sed ualde dubitabam, utrum omnia se ita haberent: siquidem facile fieri potuit, ut pro Romana, ex lapsu quodam memoriae, uenditarit Fabricius editionem Vlmensem. Et uero praeter laudatum Fabricium, KRANZIVS in *Memorabilibus Bibliothecae Elisabethanae* p. 74. eius quoque mentionem facit; quae autem MAITTAIRE l. c. p. 438. habet, ea ex Fabricio sunt desumta. Vterque istorum Virorum, et Fabricius et Kranzius, laudant exemplar membranae impressum; uterque Nic. Hahn typographum nominat, cuius tamen officina reliquis, Historiae Typographicae artis scrutatoribus plane est ignota; uterque iisdem fere, in describendo Exemplari, utitur uerbis: quae omnia fidem tantorum Virorum dubiam mihi reddiderunt; donec nuper amicus quidam, qui oculis suis in Bibl. laudati Wolfii usurpauit istud exemplar, uenustissimum pariter ac uetustissimum, ex subscriptione calci libri addita, me docuit, coniecturam meam esse ueram, editionemque Vlmensem pro Romana falso fuisse uenditatam, Nicolai *Donis* nomine in Nicolai *Galli* conuerso.

§. 8.

Multo maiori proinde certitudine affirmare possum, auctorem nostrum eo ipso An. 1482. VLMAE *a Leonhardo Hol* fuisse excusum; siquidem tale exemplar, inter rariores Bibliothecae suae libros, numerat celeb. GODOFREDVS THOMASIVS, magnum inter Medicos Humanitatis Vindices Nomen; et bina extant in duabus instructissimis Vlmensium Bibliothecis, Krafftiana scil. et Muchtaleriana; perhibentibus *Amoenit. Litter.* T. III p. 134. Arbeiten der Gelehrten im Reich. Vol. I. P. VII. p. 603. conf. MAITTAIRE l. c. p. 431. Insigne mendum haec editio, in primo statim dedicationis uersu, prae se ferre uidetur: Praefatio enim Nicolai Donis ad Paulum II. Pontificem, qui iam Anno 1471. diem suum obiit, Libro 1482. impresso est praemissa. Sed sciendum, Leonhardum Hol, Apographon, quod ad manus suas peruenit, una cum dedicatione, ad uerbum expressisse; hoc eo facilius fieri potuit, quoniam Dedicatio non Typographi, uerum Nicolai nomine est conscripta. Imo Bibliophilis nota erunt exempla talium librorum, quibus Dedi-

Dedicationes Seculo XIII. aut XIV. conceptae, sunt praemissae; quare, si nulla libris addita mentio loci et anni impressionis, ignari Historiae Typographicae eo insaniae se adigi passi sunt, ut statuerent, Librum eo, quem dedicatio ostendit, anno typis fuisse exscriptum. Haec Vlmensis editio, referente MÜNSTERO in *Praef.* ad Edit. Lat. Geographiae Ptolemaei Basiliensem, de Anno 1540. *omnibus posterioribus editionibus, in calculo et locorum nominibus, est purior, et incorruptior.* Textus illius, in multis locis, discrepat ab Editione Romana, anni 1478. Tabulae Textui subiunctae XXXII. omnes ligno insculptae, a *Iohanne Schnitzer ab Arnsheim*; cuius nomen, in limbo superiore tabulae primae, legitur. Ex numero patet, tabulis XXVII. antiquioris Geographiae, a Nicolao Donis quinque adhuc fuisse additas, situm et nomina recentiora urbium *Lusitaniae, et Hispaniae, Galliae, Scandinauiae, Italiae ac denique terrae Sanctae,* repraesentantes. Nicolaum esse auctorem harum tabularum, ex eo conjicio, quoniam in solis Exemplaribus, quae Nicolai nomen in fronte gerunt, primum habentur; et ab ipso in Registro s. Indice Alphabetico, super octo Libros Geographiae Ptolemaei, Editioni Vlmensi Anno 1486. praemisso, ac supra recensito, plerumque citantur. Locus et annus impressionis, cum nomine typographi, in ultimae Tabulae parte auersa capitalibus literis indicantur, hunc in modum: *Claudii Ptolomei uiri Alexandrini Cosmographie octauus et ultimus liber explicit. Opus Donni 1) Nicolai Germani secundum Ptolomeum finit, Anno M CCCC LXXX II. Augusti uero Kalendas XVII. Impressum Vlme per ingeniosum uirum Leonardum Hol, praefati oppidi ciuis.* Notandum est, nonnulla huius editionis exemplaria membranae fuisse impressa; ex quorum uno desumtae Tabulae, quae Codici MS. Norimbergensis Biblioth. sunt additae. Discrepant eae ab aliis huius editionis Tabulis, chartae impressis; membranaceae in prima parte, cui textus Ptol. ad eam explicandam quicquam faciens, inscriptus est, quatuor lineis paulo crassioribus, uariis ductibus coloribusque distinctis, sunt exornatae; chartaceae uero iis destituuntur. Extare quoque editionis huius Exemplar in AVGVSTISS. IMPERATORIS Bibliotheca, Reuerendiss. Gentilotti, ab Engelsbrunn, qui magno labore Lambecium

1) Vox haec *Donni* nonnullis occasionem dedit coniiciendi, uocabulum *Donis*, quod in sequentibus occurrit editionibus, non esse habendum pro nomine gentilitio, sed ortum ex uoce *Dominus*, per compendium scribendi *Donnus*: quam autem coniecturam meam non facio, maiorem tribuens fidem Trithemio, scriptori fere coaeuo.

becium et Neſſelium auxit, annotauit; quod Exemplar, multis annotationibus MStis in margine refertum, manu Io. SCHONERI, celebris olim Mathematici correctum eſſe et emendatum putauit. Praeterquam quod manus Schoneri ex aliis ſchedis ei innotuerit, coniecturam hanc non parum firmabat Scheda, exteriori ligaturae parti agglutinata; quae exhibet ſcutum transuerſim bipartitum, cuius area ſuperior libram ancipitem, nonnihil uerſus ſiniſtrum latus inclinatam, inferior crucem, trabe transuerſa notatam ✗ oſtendit, cum hac Epigraphe:

Hoc te, poſteritas, Schonerus munere donat,
quo ſtante ingenii ſtant monimenta ſui.

Notae margini adſcriptae manu Schoneri, non ſolum in textu, ſed et in ipſis tabulis. Priores emendant textum, quoad gradus longitudinis aut latitudinis, indicantque tabulas, in quibus nomina urbium occurrunt. Poſteriores exprimunt nomina urbium ac aliorum locorum Seculo XVI. conſueta, et a ueteribus nonnihil recedentia. Diuerſitas tamen manus in annotationibus deprehenditur; cum aliae paulo craſſioribus literis, aliae uero ſubtilioribus ſint exaratae. Exempla emendationum ſubiungerem, dummodo chartae id permitteret anguſtia.

§. 9.

Ab editione modo recenſita parum aut nihil differt alia, itidem Vlmae excuſa; cui NICOLAI DONIS *Tractatus*, *de locis ac mirabilibus mundi*, eſt ſubiunctus, fabulis abundans, admixtis nonnullis utilibus. Neque in textu, neque in tabulis huius editionis quicquam eſſe mutatum, quiuis, conferens eam cum proxime praecedenti, fatebitur. In calce libri haec leguntur: *Impreſſum Vlmae opera et expenſis Iuſti de Albano, de Venetiis, per Prouiſorem ſuum, Iohannem Reger, Anno Domini MCCCC LXXXVI. XII. Kalendas Auguſti.* Paulo inferius ardea, ſuper colle tricipiti viridi in ſcuto nigro, conſtituta; ſcuti lateri dextro litera I. ſiniſtrae R adſcripta eſt. Nonnulli putant, editionem hanc Venetiis fuiſſe typis exſcriptam; cum uero 1) character editionis Vlmenſis de anno 1482. cum charactere huius recentioris editionis per omnia conueniat 2.) ipſe Iohannes Reger, de Kemnat, oppido Palatinatus ſuperioris ortus, non ſolum eo anno, ſed et nonnullis aliis m) libros ex officina ſua prodire fecerit; Vlmae hinc

m) uid. MAITTAIRE l. c. p. 474. 542. 609. 634.

hinc potius, quam Venetiis, quam prae manibus habeo, editionem impressam esse, plane mihi persuadeo. Non autem nego, Iustum de Albano, Bibliopolam forte Venetum, sumtus Iohanni Reger suppeditasse, ad opus integrum Ptolemaei imprimendum; siquidem diuersarum Bibliothecarum Indices, Lugdunensis scil. Venetae, ac Lipsiensis me docuerunt, omnia opera Ptolemaei, praeter Geographiam, eodem quoque anno Vlmae fuisse excusa. Conf. et LOESCHERI *Stromat.* pag. 149.

§. 10.

Quatuor rursus post annos Ptolemaeus Romae in fol. maj. prodiit, quod bina exemplaria, *Viennae*, in Biblioth. Illustrissimi Comitis FERTVSATTI, et *Ienae* in Bibliotheca Academica, extantia docent. En uerba in ultima edit. pagina scripta: *Hoc opus Ptolemaei, memorabile quidem et insigne, exactissima diligentia castigatum, iucundo quodam charactere impressum fuit, et completum Romae Anno M CCCC LXXXX. die 15. Nouembris, arte et impensis Petri de Turre.* Euolue quoque Maittaire l. c. p. 528. Non aliud, praeter hoc unicum, officinae Petri a Turre monimentum, mihi innotuit, neque etiam celeb. Maittaire; qui in Indice Typographorum chronologico, ad annum saltem 1490. eiusdem facit mentionem. Tamen hoc unicum sufficere posse puto, memoriae Petri a Turre conseruandae; siquidem, ob nitorem chartae et typorum, ualde se commendat, et proxime cum editione Romana Anni 1478. conuenit. Textum nonnullis in locis fuisse emendatum, ex subscriptione adducta concludo; nam collationem cum aliis exemplaribus instituere mihi non licuit. Tabulae adsunt XXVII. et quidem aeri, quamuis paulo rudius, incisae, et superadditus iis memoratus iam saepius Nicolai Donis Tractatus, de orbis mirabilibus. Gerardus Mercator, in Praefat. ad Editionem Graeco-Latinam supra recensitam, fatetur, se, in adornanda ista editione, inter alias Editione Veneta de Anno 1490. fuisse usum.

Septima

1490.

# CAPVT VII.

## DE PTOLEMAEI GEOGRAPHIAE EDITIONIBVS LATINIS, SECVLO XVI. EXCVSIS.

§. 1.

STatim ſub initium Seculi XVI. autor noſter typis rurſus fuit mandatus. Extat haec editio in theſauro librorum rariorum EBNERIANO; cumque tituli tunc ceperint libris praefigi, etiam huius editionis integram rubricam, ut alii loquuntur, huc adſcribam: *In hoc opere continentur, Geographia Claudii Ptolemaei, a plurimis Viris utriusque linguae doctisſimis emendata, et cum Archetypo a) Graeco ab ipſis collata. Schemata cum ſuis demonſtrationibus correcta a Marco Beneuentano, Monacho Coeleſtino, et Iohanne Cotta, Veronenſi, uiris Mathematicis conſultisſimis. Figura, de proiectione Sphaerae in plano, quae in Libro VIII. deſiderabatur, ab ipſis non tam inſtaurata, ſed fere adinuenta: eius enim ueſtigia in nullo, etiam Graeco Codice, extabant. Maxima quantitas dierum ciuitatum, et diſtantiae locorum ab Alexandria Aegypti cuiusque ciuitatis, quae in aliis Codicibus non erant. Planiſphaerium Cl. Ptolemaei nouiter recognitum, et diligentisſime emendatum a Marco Beneuentano, Monacho Coeleſtino. Noua et uniuerſalior cogniti orbis tabula, a Iohanne Ruyſch Germano elaborata. Sex tabulae nouiter confectae, uidelicet Liuoniae, Hiſpaniae, Galliae, Germaniae, Italiae, Iudaeae. Cautum eſt edicto Iulii II. Pontificis maximi, ne quis inprimere, aut inprimi facere audeat hoc ipſum opus poena excommunicationis, latae ſententiae, his, qui contra mandatum iuſſumque conari audebunt. Anno Virginei partus M D VIII. Rome.* Quae in hoc opere contineantur, titulus ſatis docet. Viri iſti doctisſimi, qui de hac editione bene meruerunt, ſunt Marcus Beneuentanus, et Iohannes Cotta; uterque eorum ſcriptis clarus. Marcus enim ſcripſit Dialogos aduerſus Albertum Pighium, quos Friſius in Continuat. Bibl. Geſneri p. 566. Romae dicit in 4 fuiſſe excuſos. Forte quoque nonnulla de Marco habet, TOPPIVS, in *Bibliotheca Neapolitana.* Bernhardus Syluanus, qui editionem Venetam, de Anno 1511. mox uberius recenſendam, procurauit, in annotationibus ei praefixis, paulo iniquius de Marco ſentit; dicens: *Non*

a) Archet. pon hic non ſumitur, pro libro, ipſa Ptolemaei manu exarato; ſed pro textu Graeco, qui reſpectu uerſionis habetur pro Archetypo.

*Non possum Marci Beneuentani Monachi inscitiam praeterire. Is enim cum Ptholemaei opus emendandum assumsisset, non modo non emendauit, sed in plerisque locis adeo corrupit, ut manifestam implicet contradictionem, etc.* Exempla etiam nonnulla allegat Syluanus, ex quibus idem probare annititur. Fateor quidem lubentissime, Marcum multa pro arbitrio suo, et non semper ope Codicum, et textus Graeci, emendasse: interim tamen non omnis eius labor est frustraneus; siquidem margini uersionis appositae sunt nonnullarum Graecarum uocum explicationes latinae, aliaque, explicationi textus inseruientia. Vtrum uero ea Marco, an uero Io. Cottae sint attribuenda, non satis constat. Syluanus certe, quaecunque in editione Romana laudem mereantur, in annotationibus citatis Io. Cottae attribuit; scribens inter alia, *quod demonstrationes illae, quae in primo et septimo libro leguntur, Ioanni Cottae sint adscribendae, utpote, qui ea loca emendauerit.* Et paulo post in laudem eius sic loquitur: *neque enim aut ingenio aut eruditione cuiquam nostra aetate COTTA cedebat. Sed, proh DEVM atque hominum fidem, tum, cum maxime floreret, cum maturum iam ingenium, non spem modo sui, magnam polliceretur, sed uberrimos iam fructus ferre inciperet, importuna sane et immatura morte, non sine maxima bonarum artium iactura, trigesimo aetatis anno, proxima aestate* (anni uidelicet 1510) *Viterbii decessit, etc.* Haec uerba, quamuis ab amico prolata, cui obitus Cottae magno erat dolori, non tamen ex quadam adulatione profluxerunt. FRISIVS enim *in Continuat. Biblioth. Gesneri* p. 525. plura eius recenset scripta, inprimis *Chronographiam uersibus describi coeptam*; quam uero, cum eruditis eius *in Plinium Scholiis* periisse dicit. Varia eius *Epigrammata*, cum *M. Ant. Flaminii, Andreae Naugerii, Lampridii, Sadoleti, et aliorum Epigrammatibus Parisiis* s. a. in 8vo. et Florentiae 1552. prodierunt. Ceterum notandum est, Cottam, qui, in titulo nostrae editionis, *Veronensis* uocatur, teste Frisio l. c. ortum esse apud Alieniacum pontem, oppido, supra Athesin sito. Conf. IOVIVS, *in elogiis illustrium literis Virorum p. 107.*

§. 2.

Vterque horum Virorum suscepit opus, curante Reu. Patre DN. *Fabritio de Varano, Episcopo Cameriensi*, quod docet dedicatio nostrae editionis, directa ad *Robertum Tit. S. Anastasii, Presbyterum Cardinalem, Nannetensem*; ex ea etiam discimus, *Scipionem Carteromachum* b) *Pistoriensem, ut in Lati-*



b) uid. de eo FRISIVM l. c. p. 744. et KOENIGII *Biblioth. Vet. et Nou. p. 169.*

*latinis clarum, ita et in Graecis nulli illius temporis secundum; et Cornelium Benignum, c) Viterbiensem, Latini Graecique sermonis peritissimum, pleraque correxisse, et castigasse sedulo.* Planisphaerium Ptolemaei, editioni huic adiectum, Euangelista Tossinus accepit ex Bibliotheca Palatina. Ioannes quoque Baduarius, Patritius Venetus, et Senatus Veneti apud Pontif. Max. Orator, aliud Exemplar Marco Beneuentano tradidit, cum ille apud fossas Clodianas Praetorem ageret. Ex utroque igitur exemplari latino d) Marcus hunc libellum restituit, quantum scil. ex uersione latina restitui potuit. Egit de hoc libello b. FABRICIVS *Bibl. Graec.* L. IV. C. XIV. §. 11. p. 449. In calce nostri Exemplaris haec leguntur: *Explicit Planisphaerium Ptolemaei, recognitum diligentissime, a Marco Monacho Beneuentano Coelestinorum: quod antea in multis etiam latinis Exemplaribus corruptissimum reperiebatur. — Romae nouiter impressum, per Bernhardinum Venetum de Vitalibus. Expensis Euangelistae Tossini Brixiani Bibliopolae. Imperante Iulio II. Pontifice Maximo, anno tertio Pontificatus sui, die VII. Septembris Anni M D VII.* Quo longius Ars Typographica per orbem fuit dispersa, eo plures se obtulere, sumtibus ad eam magis excolendam suppeditandis: quo autem factum est, ut, qui reditus exinde potuerint sperari, Typographis fuerint erepti. Iam sub finem Seculi XV. aliorum expensis libros a Typographis fuisse excusos, ex editione *Vlmensi Anno* 1486. superius adducta, haud difficile est cognitu. Pari etiam ratione id, quod prae manibus habemus Exemplar, a Typographo Romano, Venetiis orto, et in arte sua satis claro, fuit impressa, Euangelista Tossino, Bibliopola Academiae Romanae, sumtus ferente. Quantum recordor, nomen Bernardini de Vitalibus a cel. MAITTAIRE inter Typographos non fuit relatum; quod forte in Supplementis Tomi II. fiet. Memoratu dignum est, quod in nostra editione diuersus occurrat annus impressionis: uidelicet in Titulo annus 1508. in calce uero Planisphaerii 1507. Sed cum in allegatione anni 1507. indicetur simul mensis et dies, quo liber praelum effugerit, maiorem certe huic tribuo fidem, quam titulo. Interim tamen non nego, a Bibliopola alium titulum praefixum esse libro, annum 1508. in fronte gerentem, id quod collatio binorum diuerso anno insigni-

c) a quo diuersus *Georgius Benignus*, Episcopus Nazarenus, de quo H. ab HARDT *Ionas in luce* legendus p. 557. De nostro Cornelio uid. KOENIGIVS l. c. p. 100.

d) Graecus enim textus, referente VOSSIO *de Mathesi* Cap. XXVI. §. 6. plane interiit.

ſignitorum Exemplarium, *Viennae* a *Perilluſtri* DN. EBNERO inſtituta, me docuit. In prioris enim editionis, anno 1507. excuſae, frontiſpicio, nec annus exprimitur, nec figurae iſtae exhibentur, quae in poſterioris editionis de an. 1508. titulo conſpiciuntur. Deinde in poſterioris titulo *nouae et uniuerſalioris tabulae cogniti orbis*, a IOHANNE RVYSCH inuentae, fit mentio, quae, una cum ſex aliis tabulis, libro ſit inſerta; in prioris uero titulo eae non recenſentur. Denique in dedicatione poſterioris Exemplaris litera prima fuit omiſſa, loco autem illius Diua Virgo Maria, ante cuius genua uir, nigra ueſte indutus, prouolutus iacet, picta uidetur; in priori uero ea litera habetur. Nihilo tamen minus coniicio, utramque editionem pro una eſſe habendam; 1.) enim in utriusque Exemplaris dedicatione ne uerbum eſt mutatum, quamuis diuerſitas deprehendatur characteris 2.) in ipſo libri textu nulla inuenitur uerborum aut typorum differentia; potius utriusuis exemplaris paginae et lineae quam accuratiſſime inter ſe conſpirant. 3.) Subſcriptio, in calce Planiſphaerii legenda, eadem eſt in utroque Codice. Forte igitur Bibliopola, qui iam per integrum decennium Romae uitam agens, 500. huius libri exemplaria imprimi curauit, ex pia quadam fraude, hodienum conſueta, exemplaribus non ſtatim diuenditis, nouum et ampliorem praemiſit libro titulum, nouasque addidit tabulas, ad alliciendos magis curioſos harum rerum emtores.

§. 3.

Sed, alia adhuc, in utraque editione, occurrunt memoratū digna. Alteram enim poſt dedicationem plagulam occupat Priuilegium Papale: id quod monendum contra S. R. LOESCHERVM, Virum de Eccleſia et literis bene meritum, qui in *Stromat.* p. 287. obſeruationes tradens, de artis typographiae pueritia, ſic ſcribit: *Primum, quod ſciam, Priuilegium librorum datum eſt* 1514. Sed altius eſſe repetendam Priuilegiorum originem, probant opera Campani, *Mediolani* An. 1495. a *Michaele Ferner*, *et Euchario Silber* excuſa, quibus priuilegium LVDOVICI SFORZIAE *Ducis Mediolanenſ.* praemiſſum eſt; imo in Catalogo Librorum ante Anno 1500. impreſſorum, quem dedit MAITTAIRE T. I. *Annal.* plura et antiquiora occurrunt exempla. Deinde et hoc ex laudata dedicatione notandum, quod Typographis et Bibliopolis non fuerit liberum, pretium libris certum ſtatuere, ſed ſummos imperantes Viro harum rerum perito, et fideli, poteſtatem conceſſiſſe, libros aeſtimandi. Sic enim habent ipſa Priuilegii uerba:

*Volumus, quod dicti libri nullatenus uendi posfint, nisi dilectus filius, Thomas Phoedrus, Canonicus Lateranensis, Bibliothecarius et familiaris noster, de cuius fide plenam in Domino fiduciam obtinemus, iustum pretium imposuerit; iuxta cuius determinationem uendi debeant.* Optandum effet, ut hodienum illius rei curam agerent fummi imperantes; ne iniquo interdum pretio emtores pecunia emungerentur.

§. 4.

Praeter uero Ptolemaei Planifphaerium, addita appendix alia, quae infcribitur: *Noua orbis defcriptio.* Hic liber, ut ex duplici dedicatione, una *Euangelistae Tosfini ad Cardinalem Nannetenfem*, altera, *Marci Monachi ad Marianum Alterium, Patricium Romanum*, coniicere licet, eundem Marcum habet auctorem. Continet autem Commentarium ad Tabulam cogniti orbis uniuerfaliorem, ex obferuationibus recentioribus a IOHANNE RVYSCH e) Germano, ad mentem Ptolemaei Lib. I. C. V. concinnatam; in quo tamen Ptolemaeus, falfum nonnullis locis adtribuens fitum, emendatur, et in uerum locorum fitum inquiritur. Tabulae in editione anni 1508 extant XXXIV. praeter enim XXVII. quae in antiquioribus occurrunt, feptem aliae accefferunt, in frontifpicio libri iam enumeratae; omnes aeri funt fatis eleganter incifae. Subiicitur tandem Tabulis *Nicolai Donis Liber, de tribus orbis partibus*, fupra recenfitus. Rarioribus libris hanc Ptolemaei editionem effe accenfendam, ex eo patet, quoniam 500. faltem Exemplaria funt typis expreffa. Vnicum adhuc moneo, nullum diftinctionis fignum, praeter punctum et comma, in hoc exemplari occurrere: cum tamen alii libri, fub idem tempus excufi, pluribus incifuris fint referti.

§ 5.

1511 Vix tres elapfi funt anni, cum noua noftri auctoris editio in Italia quoque lucem afpexerit: Venetiis fcil. quae urbs non olim folum, fed et hodie, optime de literis meruit. Titulus primo ftatim folio infcriptus literis rubeis, fequentem in modum: *Claudii Ptolemaei Alexandrini Liber*

e) de quo ita loquitur Marcus Cap III *Iohannes Ruyfchi* (*Munfterus* eum in Praef. Edit. 1540 Ruyfchium uocat,) *Germanus, Geographorum meo iudicio peritiffimus, ac in pingendo orbe diligentiffimus, cuius adminiculo in hac lucubratiuncula ufi fumus, dixit, fe nauigaffe ab Albionis Auftrali parte, et tam diu, quoad fub parallelum ab fubaequatore ad boream, fub gradum 53. peruenit: et in eo parallelo nauigaffe ad ortus littora, per angulum noctis, atque plures Infulas luftraffe, quarum inferius defcriptionem affignabimus.*

*Liber Geographiae, cum tabulis et uniuersi figura, et cum additione locorum, quae a recentioribus reperta sunt, diligenti cura emendatus, et impressus.* In auersa tituli pagina aliquot leguntur uersus, Iohannis Aurelii Augurelli, allocutionem eius ad lectorem comprehendentes; quibus monet, ne primo statim intuitu lector industriam, in edendo auctore hoc adhibitam, spernat, Syluano potius, qui eius curam gessit, gratias agat. Sequitur hos uersus dedicatio *Bernardi Siluani*, *Eboliensis*, ad Illustriss. DN. ANDREAM MATTHAEVM AQVAVIVAM, *Adriae Ducem, et Eboli Dominum*; in qua inter alia Syluanus narrat, quod et Latina et Graeca exemplaria inter se contulerit, et, hortante *Pandulfo Cinnamo*, textum ac tabulas, Ptolemaeo ipsi, et menti eius conuenienter descripserit. Dedicationem ipsam excipiunt eiusd. *Bernardi* Annotationes in Geographiam Ptolemaei, quibus partim ad Quaestionem respondet, cur tabulae huius editionis ab aliis differant; partim uero errores nonnullos, quos *Marcus Monachus Beneuentanus* in editione sua commisit, recenset: cum e. g. Hydruntem terminum Italiae uersus tres plagas, orientalem, Septentrionalem et meridionalem posuit, eamque fluuium, non urbem, esse asseruit. Ipse textus Ptolemaei paucis in locis est emendatus; in reliquis cum uersione Iac. Angeli conuenit. Locorum distantiae plane a reliquis editionibus differunt, ex diuerso meridiano deductae. Summae Capitum aliaque prae ceteris memorabilia rubris literis, reliqua textus uerba atris sunt expressa Tabulae, non tam ad mentem Ptolemaei, quam ad relationes iter facientium, sunt delineatae, omnes autem numero XXVIII. ligno incisae. Locorum nomina minutiori charactere indicantur, male interdum diuisa, adeo, ut uix legi possint. In calce libri locus impressionis et typographus notatur, hunc in modum: *Venetiis per Iacobum Penzium de Leucho Anno Domini MDXI. die XX. mensis Martii.* Eiusdem editionis metionem facit MELLERSTADIVS, in *Epistola ad* SPALATINVM, quae *Manipulo I. Epistolarum a* HECKELIO *Plauiae* 1695. in 8. *edit.* p. 104. inserta habetur, dicens: *Bibliopolam Norimberg. habere uenalem Ptolemaeum in litera Veneta, et papyro subregali, decus Bibliothecarum.*

## §. 6.

Vix duo praeteriere anni, cum noster auctor *Argentinae in fol. maj.* rursus prodiit: quod certissimo est testimonio, eius librum ab eruditis magni fuisse aestimatum. Titulus praefixus, quae in editione hac singularia deprehenduntur, breuiter indicat, quem ea propter quoad prae-

praecipua huc apponam: CLAVDII PTOLEMAEI *Viri Alexandrini, Mathematicae disciplinae Philosophi doctissimi, Geographiae opus traductione e Graecorum archetypo castigatissime pressum, ceteris ante lucubratis multo praestantius: pro prima parte continens Cl. Ptolemaei Geographiam per octo libros partitam — una cum collatione dictionum Graecarum, e regione ad latinas, certissimima graduum calculatione, Registrationem item nouam Regionum — ad ordinem chartarum et columnarum singula certissimo monstrans indice: quam breuis et doctissima Georgii Lilii subsequitur instructio, de Graecorum numerali supputatione in traductione Graeca, res scitu aurea, Tabulae XXVII. auctoris: Pars II. moderniorum lustrationum XX. tabulis ueluti Supplementum quoddam antiquitatis obsoletae, suo loco, quae uel abstrusa, uel erronea uidebantur, resolutissime pandit. Adnexo ad finem tractatu — de uariis moribus et ritibus gentium.* Annum et locum impressionis ultima indicat pagina, his uerbis: *Anno Christi opt. Max. M D XIII. Marcii XII. pressus hic Ptolemaeus, Argentinae, uigilantissima castigatione, industriaque Iohannis Schotti, urbis indigenae: regnante Maximiliano Caesare, semper augusto.* Auersam tituli paginam occupat Epistola *Io. Francisci Pici*, Mirandolae Domini etc. ad *Iacobum Esler*, I. V. Doctorem, et complices eius, data IV. Kal. Septemb. 1508. In hac miratur *iteratum Philesii in Italiam aduentum, eique se tradidisse dicit Graecam Ptolemaei Geographiam; quam si latinae uariis typis excusae composuerint, cognoscerent, hanc ab illa tantum abesse, quantum Ptolemaeus abfuerit a Regio stemmate*, etc. Deinde in nomen et aetatem Ptolemaei, ac denominationem libri, inquirit: laudat denique diligentiam *Esleri* et reliquorum, qui Ptolemaeo emendando hucusque insudarunt: hortans eos, ne transuersum unguem recedant a diligentia in opere communicando adhibita; alioqui facile euenturum, ut eorum, quae magno labore parauerint, nullo labore fiat iactura, ob impressorum uel imperitiam, uel negligentiam. Cum igitur ab anno 1508. inuigilarint operi 1513. demum perfecto, sequitur, per sex annos eas allaborasse, editionem, tam bene et accurate emendatam, in manus tradere eruditorum, qualem ante eos nemo. Id quod laudatus ESLER, cum GEORGIO VBELIN, qui *Curiarum Ecclesiast. Argentinensium causarum Patronos* se uocent, in Dedicatione 1513. XV. Martii ad Augustissimum MAXIMILIANVM Romanorum Imperatorem fatentur: uocantes hanc editionem, opus, sua uigilantia, curis, et sumtibus renatum. Textus ipse comprehendit uersionem, a Philesio forte elaboratam: siquidem plane alia est, ac Iacobi Angeli. Interim tamen nec hoc negari debet, uersionem esse non adeo perspicuam: auctor enim illius fere ubique sequitur textum Grae-

Graecum, etiam in Idiotismis linguae illius; non raro quoque uerba Graeca latinis uocibus, sensum non satis exhaurientibus, et interdum barbaris reddidit. In secundo et reliquis libris, nominibus locorum latinis, Graeca quoque sunt addita, maioris forte euidentiae causa. In eo exemplari, quod possidet celeb. SCHWARZIVS, illuminatorem, ut MAITTAIRE uocat, adhibitum esse, deprehendo, qui literas librorum et capitum initiales, a reliqui textus charactere non differentes, inque maiori spatio collocatas, uariis coloribus eleganter pinxit; additis quoque in medio textu uariis ductibus. Post textum sequitur *Registratio*, cuius in titulo libri facta erat mentio; indicans ordine Alphabetico loca, in Ptolemaei libris occurrentia. Totum opus finitur Epistolâ LILII GREGORII ZIRALDI, ab aliis GYRALDI dicti, quae *Ferrariae* 1508. X. Cal. Sept. data est; in ea quaerenti *Philesio*, de numeris Graecorum in MStis occurrentibus, respondet *Gregorius*, et eos breuiter explicat. Ceterum docet admonitio quaedam, in ultima pagina legenda, PHILESIVM f) concinnasse uersionem latinam ex textu Graeco. Proferam ex ea sequentia: PHILESII *diligentiam in hoc plurimum cooperatam scias, cuius fideli doctaque manu totum quod uides opus transscriptum, secundaria dein reuisione eius qui pressit, summis uigilantia et curis, aere graphatum est.* Post tabulas XXVII. quae in antiquioribus editionibus habentur, aliae XX. sequuntur, nouam Geographiam complectentes, inque pagina quadam, tanquam altera pars libri, enumeratae, addita allocutione ad lectores. His iuncta est tabula *Hydrographica*, per *Admiralem* quendam (sic habet allocutio) *Regis Portugalliae*, consignata, quae ex singulari fauore, RENATI *Ducis Lotharingiae*, editoribus tradita fuit, cum alia *Ducatum Lotharingiae* repraesentante. Additus tandem Nic. Donis Tractatus, de locis ac mirabilibus mundi, saepius laudatus. Hoc ipsum, quod in Bibl. celeb. SCHWARZII uidi exemplar, pertinuit olim ad clarissimum ICtum, *Casparem Zieglerum*, ceu inscriptum titulo nomen illius docet. Vid. de hac editione S. R. HAVBERI *Epitome Hist. Mapparum Geograph.* p. 22. not. *u*. et p. 94. not. *g*. Rarissimam merito eam uocat RELANDVS in *Palestina* p.346.edit. Amstelod.

§. 7

Patria quoque mea dulcissima, *Norimberga*, de Ptolemaeo bene



mere-

f) PHILESIVM carmen condidisse de Vosago, testatur KOENIGIVS in *Bibl. V et N.* p. 631. GESNERVS autem in *Bibliotheca* p. 583. mentionem facit cuiusdam RINGMANNI PHILESII, dicens, eum scripsisse enarrationem Europae, Argentinae 1511, impressam; quod forte opus diuersum ab eo, quod in praesenti recensui.

mereri coepit. Florebat in ea Seculo XVI. ineunte IOHANNES WERNERVS, Vir ob Mathematicam ſcientiam, et multifariam eruditionem clariſſimus. Hic ſuadente IOHANNE STABIO, Mathematico Caeſareo, poſtquam delituerat hucusque Verſio IOHANNIS REGIOMONTANI, ſimilem laborem ſuſcepit; cum uero ſaltem uerſionem primi Libri ad finem perduxiſſet, eique labori continuando non diutius inſiſtere potuiſſet, ſuaſu tamen amicorum quorundam eum prelo mandauit, et alios ſimilis argumenti tractatus adiunxit. Titulum libri MDXIV. in fol. editi hic integrum deſcriptum dare, non eſt opus; cum eum celeb. DOPPELMAYERVS operi ſuo, *de Mathematicis et Artificibus Norimbergenſibus*, multo labore, multaque eruditione conſcripto, p. 32 33. et 44. not. *u.* inſeruerit, quaeque in eo notanda, indicarit; ad quod B. L. remitto. Vnicum ibidem dictis addo; memoratum nempe WERNERVM fuiſſe Societati Rhenanae adſcriptum, quae ſub directione Dalburgii Seculo XVI. ineunte floruit; uti teſtatur *Praef.* ad opera HROSWITHAE Norimbergae MDI. et *Wittebergae* 1707. in 4to. excuſae; add. Cel. IAC. BVRCKHARDVS, de *fatis Linguae Lat. in Germania* T. II. p. 403.

§ 8.

Poſt tot alias editiones *Iohannes Scotus*, Argentoratenſis Typographus Anno MDXX. Ptolemaeum recudendum exiſtimauit; quale exemplar eſt penes PERILL. DN. EBNERVM. Vocatur haec editio in titulo *aucta, reſtituta, emaculata.* *) Curam procurandae illius egit GEORGIVS VBELIVS, Illuſtriſſimi Principis *Guilielmi*, Epiſcopi a Secretis, et V. I. Doctor; qui textum ex uerſione latina anni 1511. recudi iuſſit, et in pluribus locis puriori latinitati reſtituit. Cum qua editione et in hoc conuenit, ut Graeci locorum nomina latinis ſint addita, tabulaeque ligno inciſae; proinde ei uberius recenſendae ſuperſedeo. Signum, uti mihi uidetur, typographicum, in ultima pagina conſpicuum, non poſſum praeterire; duos nempe Canes, ſeſe inuicem commordentes, cum Epigraphe: *Vim ui repellere licet.* **) Ab hac editione aliqua ex parte differt alia, ibidem *Argentorati* MDXXII. exſcripta *typis et impenſis propriis Io. Grieningeri, cum Neotericorum perluſtrationibus.* Nihil enim in textu fuit immutatum; quamuis in tabulis adſit differentia, et XXVII. antiquioribus XX. recentiores additae. Vni earum lateri a tergo *explicationes breues ſunt inſcriptae, alteri uero lucubrationes iucundiſſimae rituum, aliorumque mirabilium.* Adornauit hanc editionem LAVRENTIVS PHRISIVS. *Artis apollineae*

*) [illegible] Doctor, [illegible]

**) [illegible] Joh: Schott's [illegible] 15 [illegible] necessitas forte ferre docet consuetudo facile Seneca [illegible] 15 [illegible]

*) Ich habe die mit d. Zeichen **) versehenen Bemerkungen niedergeschrieben, ehe ich das Buch gesehen gehabt. Mit diesem bin ich nun auch bekannt geworden u. finde keinen Grund, meine Meinung zu ändern.

In Bezug auf d. Buch merke ich an.

d. Titel (in rothgedruckter Majuskelschrift) lautet: Ptole/maeus/ auctus / restitutus a/ emaculatus a / cum tabulis / veteribus / ac novis a/ u. steht inmitten e. Holzschnitteinfassung, in welcher oben d. 3 Frauen vorgestellt sind, unten d. Urtheil d. Paris abgebildet ist. Vermittelst eines 2t darüber gedruckten Stockes ist dieser Bordüre ein brauner Ton mit weißen Lichtaufhöhungen verliehen.

Der Text beginnt auf dem 2t Bl. Aij u. endigt auf Bl. Kiij recto. nimmt 56 Bll. in Anspruch, welche mit [illegible] unrichtigen Blattzahlen versehen sind.

Die Titeleinfassung ist bey der, auf d. Rückseite d. Bl. Kiij stehenden Schlußschrift wiederholt, jedoch ohne d. Tonplatte abgedruckt. Im inneren Raume derselben liest man, oben: CAROLI V A/ IMPERII ANNO I a/ unten: Joannes Scotus, Argentorati literis excepit. 1520. Unzweifelhaft ist das auf einem besonderen Holzstock ziemlich unbeholfen geschnittene Rundbild zweyer sich mit den Zähnen anpackender Hunde eingedruckt: in den Stock eingeschnitten sind die darüber stehenden Worte. VIM VI REPELLERE LICET.

Im Texte sind einige kleine Holzschnitte angebracht: ein größerer [illegible] die-

*) [illegible]

Rückseite d. Bl. Iiij ein, in demselben ist eine von 12 blasenden Windsköpfen umgebene Sphäre vorgestellt. Dieser Holzschnitt wiederholt sich noch einmal an d. Rückseite d. Blattes Iiij hierüber
als folgen nun
1 Karte v. Lothringen, welcher 19 Wappenabbildungen beygegeben sind.
1 von 12 blasenden Windsköpfen umgebene Karte: GENERALE PTHOLEMEI betitelt.
10 alte Karten, Theile v. Europa,
4 " " , " v. Afrika,
12 " " , " v. Asien darstellend, im Text erklärt. Nach diesen
19 neue Karten, auf welche d. Text sich nicht erstreckt.
Die Karte v. Lothringen ist mit 3 Farben gedruckt; die Berge u. Wälder braun; dieselbe Farbe nebst Roth ist zu den Wappen verwendet worden. Die Schrift ist theils schwarz, theils roth gedruckt, die Stockplatte schwarz.

*Doctor*, *et Mathematicarum artium Clientulus* : *in lucem iussit prodire Io. Grieninger* — *qui opus insigne aereis notulis excepit*, *laudabilique fine perfecit XII. die Marcii Anno M D XXII. fol.* Bina exemplaria huius editionis Viennae et Venetiis extant ; mihi autem ipsi nullum perlustrare contigit. Sic et de Editione Norimbergensi anni M D XXIV. cuius exemplar in Biblioth. Vindobonensi extat, ceu relatum accepi, nil certi proferre possum. Quod si autem coniecturis insistere licet, forte ex errore haec editio pro Norimbergensi uenditatur. Illius enim, quam mox recensebo, epistola dedicatoria, Norimbergae data est ; quem locum commorationis Pirckheymeri alii pro loco impressionis habent.

§. 9.

Omnium, quas uidi, editionum Ptolemaei splendidissima est, quae curante Bilb. Pirckheymero sequenti prodiit titulo: *Claudii Ptolemaei Geographicae enarrationis Libri VIII. Bilibaldo Pirckheymero interprete / Annotationes Ioannis de Regiomonte in errores commissos a Iacobo Angelo in translatione sua. ~~Excudebat Basileae Io. Grieninger communibus Io. Kobergeri impensis III. Cal. April. M D XXV.~~* Possidet eam celeb. I. D. KOELERVS, *Professor Historiarum Gottingensis.* Non sine causa eam nominaui splendidissimam : etenim, dicente MAITTAIRE *Annal. Typogr.* T. II. p. 666. not. b. *singularum paginarum margines florulentis et columnatis limbis decoratae, et initiales maiusculae Capitum singulorum literae figuris praesertim Mathematicis insignitae.* Praeterea in superiore cuiusuis folii limbo maiusculis literis, in formam pittacii positis, indicatur, quotus sit liber, quotumque folium. Exemplar hoc Pirckheymerus SEBASTIANO *Episcopo Brixiensi* inscripsit ; quam dedicationem, multa erudite dicta in se continentem, *Goldastus operibus Pirckheymeri*, iunctim editis p. 235. seq. inseruit, ex qua, ad Historiam huius editionis facientia, repetam. *Duo*, inquit Pirckheymerus, *extiterunt, qui librum hunc uertere sunt ausi; Iacobus nempe Florentinus, et Iohannes Berenberus, g) conterraneus noster. Italus tamen, licet Graeca aliquantulum calluisse uideri possit, disciplinas tamen Mathematicas ita ignorauit, ut plerumque nec semetipsum intellexerit : Germanus uero, tametsi in Mathesi admodum excelluerit, in Graecis tamen ita aliquando hallucinatus est, ut rebus potius caliginem offuderit, quam luminis aliquid attulerit. Ego uero, quamuis de eruditione mea, tam Graeca, quam Mathematica, non admodum gloriari possim, aut debeam ; nullius tamen uiri boni ac docti iudicium in hac mea translatione formido : cum, adstipulante ueritate, affirmare*



g) Wernerus uulgo dictus, de quo supra §. 7. sub fin.

*) [illegible] Panzer [illegible]: Argentorati (sic!) Johannes Grieningerus, communibus Johannis Koberger impensis excudebat Anno a Christi Natiuitate M.DXXV. Tertio Kal. Apriles. (Annal. typogr. Vol. sextum, p. 107. Nr. 608.) Panzer [illegible] ubi haec editio Basiliensis audit [illegible] dem.

*mare ausim*, *illam et prioribus dilucidiorem*, *et magis ad Ptolemaei accedere mentem. Qua in re uel unicus testis*, *Iohannes nempe de Regio Monte*, *omnium Mathematicorum nostrae aetatis facile Princeps*, *mihi sufficiet*, *cuius auctoritatem in plerisque me sequutum esse*, *adeo non dissimulo*, *ut etiam fragmenta annotationum eius*, *quae penes neminem praeterquam me fuere*, *his meis lucubrationibus adiungere uoluerim.* Haec Pirckheymerus l. c. qui et paucis interiectis subiungit, *ex prioribus translationibus*, *uix umbram quandam Ptolemaicae uenustatis et eruditionis*, *ad latinas peruenisse aures.* Ex quibus uerbis satis superquede labore a PIRCKHEYM. praestito iudicari potest. Regiomontani annotationes textui huius editionis non sunt inspersae, sed sub finem demum octo librorum leguntur; in quibus uaria loca uersionis Iacobi Angeli, ex libro I. emendantur, et illustrantur. Fata harum annotationum describit memoratus DOPPELMAYERVS l. c. p. 12. *not. d d.* p. 18 *not. e.* p. 24. *not. q.* et *s.* p. 32. *not. t.* p. 42. *not. i.* Quae sub finem annotationum leguntur uerba h) docent,

h) Sic ista se habent: *Nec hoc praetereundum est*, *nihil a nobis*, *praeter Ptolemaei scripta*, *ac Iohannis de Regiomonte annotationes*, *editum esse*: *cetera uero ab aliis utcunque addita*, *quo librarii suas merces facilius extrudere possint.* Haec uerba probe notanda, quoniam iis, quae a SERVETO in Carcere fuerunt prolata, lucem affundunt. Etenim obiiciebatur illi, ex Ptolemaei Geographia a se procurata, quod Mosen, terrae Cananaeae magnam fertilitatem adscribentem, culpauerit, ut haec retulit SCHLVSSELBVRGIVS, in *Catal. Haeret.* T. XI. p. 190. Respondit autem SERVETVS, ea iam ab alio fuisse dicta. Conjecerunt nonnulli uiri eruditi, ex editione PIRCKHEYMERI ea fuisse desumta, in qua etiam, testantibus additionibus ad Noua literar. Lips. P. I. p. 10. leguntur. Sed cum laudatus PIRCKHEYMERVS, praesagiens quasi ea, quae postea acciderunt, his uerbis sese contra omnes iniquas censuras muniuerit, famaeque suae consulerit; hinc ea, quae praeter textum Ptolemaei, et Regiomontani annotationes, in edit. Argentoratensi leguntur, non Seruetum, sed alium quendam Virum, auctoritati Mosis quicquam derogantem, auctorem habuisse omnino puto. Conf. *excerptum Epistolae celeb.* des MAIZEAVX *ad D N.* de la MOTTE, *in Bibliotheque Raisonner* T. III. p. 172. seq. ZORNIVM *in Annot. ad Hecataei Abderitae Fragmenta* p. 77. MVNSTERVS quidem eadem uerba repetiisse uidetur, in *Isagoge*, *tabulae*, *terram sanctam* repraesentantis, tergo adscripta, dicens: *Cum habitatores eius essent recti* — *terra quoque ipsorum uariarum rerum fuit diues*, *frugibus fertilis* — *omni rerum genere abundans. Quando uero DEI obliti in uitia proruebant* — *iam non terra optima*, *sed infelicissima*, *inculta*, *sterilis dicitur.* Sed cum solicite distinguit Munsterus statum terrae sanctae, tempore Introitus Israelitarum in eam, ab alio, sub Regibus; plane diuersam a Serueto sententiam fouere uidetur, quae eo tendit: terram hanc, ob peccata populi, eam inhabitantis, omni fertilitate fuisse priuatam. Postmodum uero, expulsis Israelitis, rursus pristina solo bonitas reddita. Haec enim docent uerba *Munsteri*, in Appendicis Geographicae Capite, de terra sancta, legenda. ubi dicit, ESSE *eam uariarum opum diuitem*, *frugibus fertilem.* Imo, si coniecturis niti fas est, forte ex edit. 1522. excusa, et supra §. 8. recensita, uerba ista sunt desumta: qua uero iam destituor.

cent, indicem omnium locorum in Ptolemaeo occurrentium, et breuem modum, regionum, Ciuitatum, aut quorumcunque locorum distantiam Arithmetice dimetiendi, qui unam saltem continet plagulam, alios habere auctores. Quod ad tabulas attinet, eae numero L. minus eleganter ligno sunt incisae, et splendori textus minime conueniunt: supra iam istas recensui §. 6. Quod si DEVS uitam et uires Pirckheymeri diutius conseruasset, illi animus fuisset, hanc uersionem emendandi; quod uero opus, interueniente ipsius obitu imperfectum eum reliquisse, docet Erasmus, in Praef. ad Edit. Geogr. Ptolemaei Graecam de Anno 1533.

§. 10.

Ad aliam nunc uenio editionem, quae nitore chartae pariter ac typorum, ut et raritate, se commendat. MICHAELIS SERVETI, a patria VILLANOVANI dicti, opera et labore ea fuit in lucem publicam edita; impressaque *Lugduni in officina Melchioris et Casparis Trechsel, fratrum*, in fol. MMXXXV. *Illam ab aliis editionibus multum discrepare, et fidelius excusam esse, quam ut typographi oscitantiae id imputari possit*, putat MERCATOR, in Praef. ad Edit. Graeco-Latinam de Anno 1605. coniiciens praeterea, *a diuersi generis Exemplari Graeco ad Latinos eam esse traductam.* MVNSTERVS quoque in dedicatione praemissa editioni Basil. de Anno 1540. in fol. laudat *non poenitendas uigilias, quas Villanouanus collocauit in Ptolemaeum, emendando corrupta, explicando retrusa, et Scholiis illustrando obscuriora.* Copiosius describendae huius editionis otium mihi fecit HENR. ab ALLWOERDEN, in peculiari *Diss.* quam de *Historia Michaelis Serueti Helmstadii* 1727. sub manudnctione Theologi celeberrimi, IO. LAVR. MOSHEMII conscripsit, et publice defendit, qui a pag. 176 — 186. fuse eam recenset. Hoc saltem moneo, errasse clariss. auctorem, §. 2. p. 181. putantem, omnes quinquaginta tabulas ueterem continere Geographiam; siquidem saltem XXVII. earum antiquam, reliquae autem recentiorem locorum denominationem et situm indicant. Haec ipsa editio, ex secunda Villanouani recognitione, *Viennae in Gallia, ex officina fratrum Trechselioruml, sumtibus Hugonis a Porta, Bibliopolae Lugdunensis* MDXLI. in fol. prodiit, quam non uidisse coniicio ALLWOERDIVM, utpote ab eo non allegatam. Descriptum dedit illius titulum Cel. DOPPELMAYERVS l. c. p. 43. *not. k.* cum quo conf. FABRICII *Bibl. Graec.* L. III. C. XXIII. p. 584. Dedicata est PETRO PALMERIO, *Archiepiscopo et Comiti Viennensi*, Anno 1541. prid. Cal.

 Mart.

Mart. Et in hac editione quam emendatissime excudenda, Villanouanus haud parum adhibuit diligentiae, Bibliopola sumtuum; id quod ille exemplis quibusdam in Allocutione ad lectorem docet. Conuenit ea, paucissimis exceptis, cum Praef. edit. priori praemissa, quam Allwoerd. p. 177. seq Diss. cit. inseruit. In margine textus leguntur recentiora locorum nomina antiquis adscripta. Tabulae quoque per omnia cum priori editione conueniunt; nisi quod ordo interdum immutatus, et in tergo nonnullarum, quae recentiorem sistunt Geographiam, ac terrae sanctae descriptionem desint, explicationes Villanouani, quibus uaria contra Christianam fidem dicta continebantur; adeoque omni iure in titulo statim uocatur haec editio castigata. Falso eam Viennae Austriae tribuunt auctores Nouorum litt. Lips. in addit. supra cit. Rarioribus libris accensendam esse utramque, docet Michael de la Roche, in Bibl. Anglic. T. II. P. I. p. 91. seq. Contra Cl. Allwoerdium Diss. suae §. 17. monendum, iam Anno 1541. Seruetum Viennae fuisse commoratum.

§. 11.

1540 Alia hanc excepit, MDXL. mense Martio Coloniae a *Iohanne Ruremundano*, in forma octies complicata, excusa. Nunquam, ceu bene monet titulus, uisa fuit editio commoditate simili. Ioannes Noviomagus eam procurauit. Postquam enim hic uir doctissimus, cuius merita exponit Swertius in *Athenis Batauis*, uiderat, auctorem nostrum ualde fuisse corruptum ac deprauatum, ex textu Graeco emendare eum studuerat. Sed sentiebat, non maiorem se habiturum laborem, si ab integro transferret, quam in castigando et emendando. Igitur ab integro auctorem uertebat, dictionibus Graecis ad latini loquendi consuetudinem accommodatis: reliquit tamen Graeca nomina e regione latinorum, ut cuique suum maneret iudicium, proposita utriusque linguae Scriptura. Varia loca libri octaui non fuit ausus mutare, reclamantibus omnibus exemplaribus; sperans, exorturum aliquando, qui eum nodum, manente auctoris sententia, dissolueret. Tabulae nullae huic libro sunt subiunctae, ne scil. augeretur pretium Librario soluendum. Gerardus Mercator in *Praef. cit. ad Edit. Graeco-Lat. de* Anno 1605. hanc editionem uocat *plus satis mendosam*, quoniam saepissime in numeris differt; sed causam discrepantiae ipse *Io. Nouiomagus* indicat, qui ex diuerso Exemplari desumsit textum Graecum. Rarius haec editio com-

comparet, et quidem fortasse ob commoditatem formae. Extat tamen unum illius exemplar in *Bibl. Norimbergensi*, alterum in *Bibl.* Celeb. SCHWARZII.

§. 12.

*Eodem* quoque anno *Basileae*, *ex officina Henric-Petrina*, hic auctor, in *folio* prodiit. Curam edendi illius in se suscepit SEBASTIANVS MVNSTERVS, Prof. Basil. qui et Reu. DN. PHILIPPO A GVNDELSHEIM, *Episcopo Basil.* eum dedicauit. Praeter alia, Historiam uersionis latinae et tabularum spectantia, fatetur in ea Munsterus, se in *edendo hoc libro usum esse, uersione Pirckheymeri, et Villanouani, et primum librum commentario illustrasse, magna ex parte desumtum ex Wernero.* i) Et paulo post: *quid praestiterimus in ipso Ptolemaico textu, conferentes illum cum Graeco exemplari, et Vlmensi editione, aliorum esto indicium.* Praemissus est textui Index omnium locorum Alphabeticus. In ipso autem textu, cuiuis Capiti Libri I. subiunctae sunt nonnullae Munsteri annotationes; reliquis Libris additae explicationes ex Plinio, Strabone, aliisque auctoribus, inter se collatis, desumtae, aut nomina locorum hodierna, diuerso charactere, a textu auctoris facile descernendo, adscripta. Tabulae 50 ligno incisae textum excipiunt; quas sequitur appendix Geographica Sebast. Münsteri; in ea tres orbis partes, iuxta modernum rerum statum, describuntur, ita tamen, ut non pauca ex Serueti editione desumantur, uti ex p. 188. a collata cum Verbis Serueti, tabulae terram sanctam repraesentantis tergo inscriptis, concludere quiuis potest. Cum hac editione per omnia conueniunt aliae duae editiones, diuersum annum in frontispicio ostendentes: nempe 1541. 1542. quarum utraque ne in minimis quidem a priori differt. k) Mea igitur sententia Munsterus, qui post tot alias editiones, magnum exemplarium numerum imprimi curauit, aut singulis annis titulum et annum impressionis mutauit, exemplaribus istis non statim diuenditis; aut singulis annis integrum librum recudi fecit, quod omnem superat fidem. Non enim tanta in omnibus potuisset seruari characterum aequalitas, qualis tamen in unaquaque editione deprehenditur.

§. 13. Quae

i) S. R. HAVBERVS, in *Historia Tabularum Ducatus Sueuici*, p. 3. not. b. coniicit Munsterum multa ex Stoefleri MSto fuisse mutuatum.

k) 1541. quoque Basileae, ex eadem officina, omnia Ptolemaei opera, praeter Geographiam, prodierunt.

§. 13.

Quae anno M D XLV. ex ead. officina prodiit Editio, plane pro nouiter recusa est habenda; siquidem in omnibus fere paginis diuersi a prioribus comparent typi, et Dedicatio, quibusdam mutatis, non ad Episcopum Basileensem, sed ad uniuersos Astronomiae atque coelestis Philosophiae ingeniosos scrutatores est directa; detecto sub finem illius Ptolemaei errore, in indicandis motuum coelestium radicibus. Tandem quatuor nouae tabulae additae (sic uerba tituli habent) *quae hactenus apud nullam Ptolemaicam impressuram* uisae sunt. Nihil plane in textu, nihil in annotationibus mutatum; sed omnia ad uerbum rursus expressa, quae in prioribus habebantur editionibus.

§. 14.

Nullus dubito, quin etiam omnia huius editionis exemplaria a Geographiae studiosis auide fuerint coëmta: siquidem rursus ab eodem typographo M D LII prelo fuit noster Ptol. mandatus. Possidet tale Exemplar Perill. Dn. EBNERVS; in quo praeter textum, uariis Scholiis illustratum et tabulas, ac Elenchum Alphabeticum, adest alius index, itidem Alphabeticus, locorum, quae in tabulis occurrunt. Vterque index plagulas 41. occupat; et postremo praemissa *Conradi Lycosthenis Rubeaquensis* praefatio, in qua de utilitate tabularum Geographicarum agit, modumque ostendit, loca in iis inueniendi. In limine statim habetur Priuilegium *Henrici IV. Galliarum Regis*, in quo Henrico Petri potestas conceditur, per sex annos hunc librum imprimendi, uendendique. Saepius Editiones Basileenses occurrunt; adeoque non tam raritate, quam potius utilitate se commendant: imprimis editio, modo a nobis recensita. In Exemplari hoc allegando B. Fabricius Bibl. Graec. L. IV. p. 413. errorem commisit, dicens, in forma 12. id expressum esse; cum tamen in folio excusum prostet.

§. 15.

Sequenti statim anno *Ingolstadii*, primus saltem Liber Geographiae Ptolemaei, typis fuit exscriptus. Petrus enim Apianus, *Leisnicensis*, cuius uitam Exc. Schwarzius, singulari *Programmate* descripsit, ex quo forte Parnasso Boico T. II. p. 128. seq. inserta Germanice, *Introductioni suae in Geographiam Ingolstadii*, 1553. excusae, illos adiecit libros, quos supra § 7. *Norimbergae* M D XIV. excusos esse, ex Doppelmayerri libro cit. docui,

docui, antea quoque *Ingolstadii* M D XXXII. impressos. Cum uero hucusque nondum mihi obtigerit, unam earum oculis usurpare, hinc saltem illas indicasse sufficiat.

§. 16.

Post tot Germanorum in Ptolemaeum labores, Italus rursus coepit, de eo bene mereri; IOSEPHVS scil. MOLETIVS, qui, postquam PIRCKHEIMERI Versionem ex diuersis inter se collatis Graecis Codicibus emendasset, et nominibus locorum antiquis recentiora adposuisset, eum *Venetiis* M D LXII. in 4. *apud Valgrisios* recudi curauit. Praemisit Dedicationem ad Cardinalem Aloysium Cornelium, ex qua ea huc adscribam, quae ad Historiam libri faciunt: *Praeter Tabulas XXVII. antiquas* (ait Moletius) *quae Ptolemaei terram cognitam continent, XXVII. nouae, non a nobis, sed ab aliis, efformatae, et erectae, typisque aeneis impressae: hae quidem terram totam, nostra aetate cognitam, continent. In harum tergo nos ea breuitate, qua potuimus, res perutiles atque necessarias Historicae cognitioni, adscripsimus. Confecimus deinde, assiduis uigiliis indicem copiosissimum; quod uix in Ptolemaeo inuenire liceat uerbum, quin non reperiatur in eo.* Haec Moletius: qui et in primum ac septimum librum amplissima addidit Commentaria, quibus omnia, quae ad Geographiam attinent, et quae praetermissa sunt a Ptolemaeo, illustrantur. Hanc sine dubio indigitat editionem DAVMIVS ad HEKELIVM suum scribens: *Effice, si potes, ut Ptolemaeum Latinum, editionis Moletio-Valgrisianae Venetae, a Barthio, Bosio, et Mullero Mathematico Lipsiensium insigni, saepissime laudatum — nanciscar.* Conf Epistolas DAVMII ad HEKELIVM a b. GLEICHIO *Torgae* 1697. in 8. editas p. 19. Praeter exemplum, in *Catal. Bibl. Perizonianae* p. 141. occurrens, aliud quoque possidet celeb. GODOF. THOMASIVS.

§. 17.

GERARDVS MERCATOR, meritis in studium Geographicum clarissimus, non certius famam sui perennaturam fore sperabat; quam si Ptolemaei Geographiam, curis suis emendatam, rursus in manus traderet eruditorum. Hinc Coloniae Agrippinae M D LXXXIV. in folio, typis *Godofredi Kempensis*, euulgauit istum librum, cum adiectis tabulis, ad Ptolemaei mentem restitutis. In Epistola dedicatoria, quam ARNOLDVS MYLIVS, *Vrymoersheimensis*, ad ABRAHAMVM ORTELIVM scripsit, inter alia legitur; quod, *cum Anno* M D LXXVIII. GERARDVS MERCATOR *Tabulas secundum Ptolemaei mentem ediderit, nunc etiam, multorum satisfacturus desiderio, textum*

*ipsum Ptolemaeum, et quidem ex uersione Pirckheymeri, quam ueterum Graecorum Exemplarium collatione Michael Villanouanus postea recognouit, in lucem publicam emiserit; ita tamen, ut uersionis Moletii nonnunquam etiam rationem habuerit, et nunquam ab eo recesserit, nisi ubi contra ordinem, a Ptolemaeo L. II. C. 1. praescriptum, esse animaduerterit, aut uiderit, quod contra uerum situm aliquid sit peccatum.* Retinuit tamen quantitatem horarum et dierum, qua Ptolomaeus secundum Meridianum Alexandrinum est usus, et nomina urbium recentiora ueteribus adscripsit, Moletii autem Commentarios omisit: Quem Mercatoris laborem Mylius deinde in quibusdam locis emendauit. Tabulae saltem XXVII. toties allegatae huic editioni deprehenduntur adiectae, omissis reliquis, a recentioribus auctoribus delineatis. Extat tale Exemplar in Bibliotheca publica Academiae Altorfinae.

§. 18.

Alias binas editiones, Basileae circa idem tempus, nempe MDLXXXII. et MDLXXXIV. excusas, commemorat Lipenius, in *Bibliotheca Philos.* T. I p. 573. sed cum saepius exscripserit Lipenius Catalogos Librorum, non omni fide maiores, hinc alii dispiciant, in quantum illi fidendum. Multo maiori certitudine affirmare possum, nostrum auctorem *Venetiis* MDXCVI. in 4to *apud Haeredes Simonis Galignani de Karera*, et sequenti statim *Coloniae Agrippinae*, *a Petro Keschedt in eadem forma fuisse* excusum. Cum autem utraque editio fere pro una sit habenda, et in eo saltem a se inuicem differat, ut illa, quasi pro Autographo habenda, multis scateat mendis typographicis, haec autem ex illa desumta, simulque omnibus mendis sit purgata; hinc utriusque memoranda simul breuiter indicabo, magis tamen ratione habita Coloniensis, tanquam correctioris. Praemissa est huic Epistola dedicatoria nomine Petri Keschedt concepta, ad Io. Gvil. *Iuliae*, *Cliuiae et Montium Ducem.* In ea fatetur Typographus, quod *editionem Venetam, biennio abhinc uno plus minus in lucem emissam, secutus sit; quam uero ab innumeris, quibus sordebat mendis, purgauerit. Indiligenti enim animaduersione pleraque esse foedata; in multis ipsum uerborum sensum, uel mutila omissione, uel salebrosa nonnullarum dictionum inuersione esse obscurata, ac ne Indicem quidem,* (erratorum scil.) *quem typographus, resupino suo* labori excusando, libro inseruit, omnibus mendis emendandis sufficere. Sequitur hanc dedicationem Praefatio I. Ant. Magini, in qua pluribus exponit, de labore in emendando Ptolemaeo a se prae-

praestito, et suasu *Ascanii Sforziae* Cardinalis, suscepto. Absoluitur integer liber duabus partibus; quarum prior textum continet Ptolemaei; eius primum librum MAGINVS amplissimo illustrauit Commentario, reliquis perbreues explicationes, ex Moletio, Villanouano et aliis desumtas, inseruit, quae maioribus characteribus a textu Ptolemaei discernuntur. Altera pars praeter antiquas tabulas, quas Maginus falso tribuit ipsi Ptolemaeo, complectitur nouas XXXV. a Hieronymo Porro Patauino in aes incisas, quae uniuersae terrae, Seculo XVI. cognitae, faciem exhibent. Singulae tabulae amplissimis obseruationibus, imo iusto Commentario illustrantur, 74. continente philyras: in quo urbes, aliaque loca, quorum in tabulis fit mentio, describuntur, quoad uerum situm, et cuiusuis loci memoranda. Index omnium locorum in hoc Commentario explicatorum, uniuersum opus finit. Ex iis, quae hucusque dicta sunt, patet, editionem Coloniensem usui Geographiae Studiosorum quam maxime inseruire, adeoque, cum rarius inueniatur, magni quoque esse aestimandam. Vnicum adhuc silentio praeterire nolo; subscriptionem scil. in calce libri legendam, quae docet ARNHEMII apud *Iohannem Ianssonium, Bibliopolam* MDXCVII. librum hunc potuisse haberi. Aut igitur *Keschedt* communibus *Ioh. Janssonii* sumtibus librum impressit; aut *Ianssonius* alteram illius partem suis sumtibus recudi fecit, *Petro Keschedt* sumtus ad recudendam primam partem suppeditante.

§. 19.

Vnica adhuc superest commemoranda editio nostri auctoris, quae *Romae* MDXC. *prodiit cum tabulis partim aeneis, partim ligneis.* Mentionem illius facit EDVARDVS BERNARDVS, in *Catalogo scriptorum ueterum Mathematicorum quae reperiri potuerunt, Voluminibus XIV. digerendorum*: quem b. FABRICIVS inseruit *Bibliothecae Graecae* L. III. C. XXIII. p. 564. inprimis autem huc spectat p. 584. Sed uereor, ne in exprimendo anno error fuerit commissus: Nemo enim, praeter Bernardum, hucusque eam allegauit, editionem; neque etiam Seculo XVI. moris erat tabulas unius Libri, partim aeri incidere, partim ligno insculpere. Cum autem 1490. Romae prodierit Ptolemaeus noster, uti supra C. VI. §. 10. docui, illiusque editionis tabulae tam eleganter ligno insculptae, ut proxime ad aeri incisas accedant; hinc puto loco Anni 1590. esse scribendum 1490. reliqua autem uerba cum restrictione quadam, et modo antea dicto, interpretanda.

# CAPVT VIII.

## DE EDITIONIBVS LATINIS SECVLO XVII. EXCVSIS.

§. 1.

IN hoc Capite a me proferenda, quamuis sint perbreuia, et facile proxime antecedenti potuissent subiungi; nolui tamen ordinem tractandi naturalem, quem semel animo proposueram, interrumpere, aut mutare: inprimis cum hucusque sperassem, plures Latinas editiones Seculo XVII. typis exscriptas, inuestigare. Sed decollata est omnis spes; et uix binae earum extant, de quibus nihil, praeter titulum et annum, certi afferre possum.

§. 2.

Causa autem, quare Seculo XVII. neglectus fuerit Ptolemaeus, mihi uidetur non una fuisse. Etenim uariae, quae Seculis antecedentibus prodierant editiones, in manibus adhuc uersabantur eruditorum; deinde et maxima pars eruditorum non amplius delectabatur uersionibus, sed ipsum textum Graecum legere cupiebat; qui iterata uice, uti supra Cap. III. docui, et quidem ex MStis emendatus, ineunte hoc seculo prodiit. Denique et hoc non praetereundum uidetur, quod Seculo XVII. uiri eruditi operam suam magis impenderint emendando Straboni, aut aliis Scriptoribus antiquae Geographiae, quam Ptolemaeo.

§. 3.

Interim tamen non negari posse coniicio, Ptolemaei Geographiae Latinam uersionem, etiam hoc seculo, typis fuisse uulgatam; nisi *Catalogo Bibliothecae Oizelianae Lugd. Bat.* 1692. excuso, omnem fidem uelimus denegare. Sic enim legitur in eius *Catalogi* P. II. p. 118. n. 8. ubi libri quarti ordinis enumerantur: *Io. Anton. Magini Geographia uetus et noua. Arnhemii 1617. et num. 9. eadem Bonon. 1608* Quamuis hic non expressa occurrat mentio nominis Ptolemaei, nullus tamen dubito, quin eius liber hic intelligatur. Notum enim est, ex supra dictis, quod *Maginus* amplum satis Commentarium in Ptol. Geographiam conscripserit, eique etiam addiderit Tabulas, cum necessariis Explicationibus, Geographiam recentiorem spectantibus. Notum quoque, Magini laborem 1597. Arn-

Arnhemii in 4to fuisse ad Exemplar Venetum recusum Quid igitur impedit, quo minus asseram, eodem in loco, et forte ab eodem Typographo, iteratam editionem fuisse euulgatam, distractis prioris editionis Exemplaribus. Quod autem concernit Editionem *Bononiensem*, facile mihi persuaderi patiar, *Maginum*, natione Italum, qui Mathesin in Archi-Gymnasio Patauino docuit, opus suum in Ptolemaei Geographiam, typis Bononiensibus recudi curasse: cum auctoribus liberum sit, opera sua, secunda cura emendata, in aliis locis rursus prelo mandare. Ceterum lectori meam coniecturam inuito non obtrudo; sed potius Bibliophilis eam examinandam et corrigendam relinquo.

# CAPVT IX.

## DE ALIIS GEOGRAPHIAE PTOLEMAEI VERSIONIBVS, ITALICA, GALLICA, LVSITANICA, ET FORTE ETIAM GERMANICA.

§. 1.

Recensitis huius Libri editionibus Latinis, reliquum est, ut eas commemorem, quae in aliis linguis fuerunt euulgatae. Inter uero has primo occurrit uersio Italica, quae a uariis uario tempore fuit suscepta. Earum antiquissima putatur, cuius mentionem facit b. Fabricivs Bibl. Graec. L. IV. C XIV. p. 413. dicens: *Italice translatum esse hunc librum per Andream Matthiolum, cum additamentis, e Seb. Munstero, et tabulis Geographicis, curante Iac. Castaldo, et Venet. 1548. 8.* prodiisse. Notum quidem est nomen Matthioli, inter Medicos celebratissimum; at, de meritis eius in Geographiam omnes hucusque tacuere, qui uitam eius dedere. Hinc merito in honorem eiusdem, deficientibus aliis subsidiis, notitiae libri inseruientibus, dabo titulum, ex exemplari Viennensi breuiter descriptum; quo saltem aliqua ex parte de ipso libro, et opera Matthioli in uertendo praestita, possit iudicari. *La Geografia di* Clavdio Ptolomaeo *Allessandrino, con alcuni commenti et aggiunte fattevi da Sebastiano Munstero Alamanno: con le tavole non solamente antiche et moderne solite di stamparsi, ma altre nuove aggiuntevi di Messer Iacopo Gastaldo, Piemontese Cosmografo: ridotta in volgare Italiano da M. Pietro Andrea Mattiolo Senese, Medico Excellentissimo. Con l'aggiunta d'infiniti nomi moderni, di Citta,*

*Provincie, Castelli, et altri luoghi; fatta con grandissima diligenza, da esso Messer Iacopo Gastaldo, il che in nissun altro Ptolomeo si ritrova opera veramente non mento utile, che necessaria. In Venetia, per Giovanni Baptista Pedrezano co'l privilegio dell Illustriss. Senato Veneto per anni X. M D XLVIII. in Octavo.* Quod si Aprosio fides adhibenda, idem liber 1555. Venetiis ex eadem prodiit officina vid. *Bibl. Aprosiana ex Vers. S. R.* WOLFII p. 232. ubi praenomen Andreae mutatum est in Aretini: sed uidetur ipse S. R. Wolfius in nota subiecta aliquantisper de Veritate huius asserti dubitasse. In alleganda Editione de Anno 1548. b. FABRICIVS errasse mihi uidetur cum ED. BERNARDO, siquidem in *Bibl. Graec.* L. III. C. XXIII. p. 584. Versionem Ital. *Castaldi* tanquam 1584. impressam adducit; ubi facilem permutationem binorum numerorum 4. et 8. quiuis subolet.

§. 2.

Post MATTHIOLI et CASTALDI labores HIER. RVSCELLI uertendo Ptolemaeo operam suam impendit, quam uersionem M D LXI. cum tabulis excusam habuit olim *Bibliotheca Hohendorfiana*, cuius uide *Catal.* P. II. p. 53. Nescio tamen, utrum huic exemplari additi sint Moletii Commentarii, quas alteri editioni de Anno M D LXXIV. *apud Iordanum Ziletti* in 4to excusae additos esse uidi. Haec textum ex eadem Versione a IOHANNE MALOMBRA reuisum comprehendit, cum MOLETII Discursu, ipsiusque RVSCELLII expositionibus. Tabulis XXVII. antiquioribus additae sunt aliae XXXVIII., quas supra in Magini editionbus annotauimus. Diuersus quidem in edit. Veneta legitur annus in titulo, ac in calce libri; hic scil. M D LXXIII. ibi autem M D LXXIV. Sed cum saepius id obtigisse, in recensione Edit. Romanae de Anno M D VII. iam monuerim, hinc indicasse illud sufficiat; ne forte alii ex uno exemplari bina efficiant. IOSEPHVS tandem ROSACCIVS uersionem modo dictam RVSCELLI de nouo correxit et emendauit, ac *Venetiis apud Haeredes Melchioris Sessae* M D XCIX. in fol. imprimi fecit; quae editio, ab ea quam §. sequenti recensebo, non quoad characteres, at tamen quoad reliqua differt.

§. 3. Ter-

§. 3.

Tertius, qui uersionem Italicam nostri auctoris concinnauit, est LEONARDVS CERNOTVS, Canonicus Ecclesiae S. Saluatoris; qui eidem addidit Commentarium I. A. MAGINI. Exscriptus est typis uterque liber Venetiis, sumtibus *Iohannis Baptistae et Georgii, Galignanorum* fratrum, in forma primi ordinis. Nihil in hac editione occurrit memoratu dignum, quod non Cap. VII. §. 18 iam sit, occasione operis Magini, descriptum. Id autem non praetermittendum, quod idem opus, forte a Cernoto reuisum, MDCXXI. in fol. *Paduae sumtibus Pauli et Francisci Galignanorum sit* recusum; aut saltem, quantum ego coniicio, libro novus praefixus titulus.

§. 4.

Non autem in linguam solum Italicam Ptolemaeus noster fuit translatus, sed et in *Gallicam*, quae tamen uersio nunquam fuit typis uulgata; Exemplar tamen illius in membrana scriptum habuisse olim ANTONIVM VERDIERIVM testatur FABRICIVS l. c. p. 413. Imo et in Linguam *Lusitanicam* PETRVS NVNEZ eius Librum I. transtulit, quod a nemine hucusque fuit obseruatum. Inueni huius Versionis Exemplum in *Bibliotheca Guelpherbytana*, ex quo titulum sequentem descripsi; Lectori eum Beneuolo interpretandum relinquens. Sic autem ille: *Gratado da Sphera, coma Theorica da Sol et da Luna. Ebo primeiro Livro da Geographia de Claudio Ptolomeo Alexandrino: tirados nouamente de Latin em lingua yem pello Doutor Perro Nunez, Cosmographo del Rey don Iohanno ho terceyro deste nome, nosso Senhor. E acrecentados de muitas annotaciones et figuras, per que mays facilmente se podem entender. Item dous tratados, quo mesmo Doutor Fez Sobre a Carte de Marear, em os quaes se decraratio todas as principaes duvidas da Navegacao: Con as tavoas de movimento da Sol, et sua Declinacao: eo Regimento da altura assiao meydoia, como nas outros tempos. Acabouse de empremir a presente obra na muito nobre et Real Cidade de Lixboa, per Germano Galardo, Empremidor, Anno primeiro dia domez de Decembro de MDXXXVII. annos.* in fol. Quantum hariolando assequi possum, uersionem saltem Libri

Libri primi, et quidem ex Latino factam, hoc opus continet: tabulasque Nauigationum et Hydrographicam, cum declinationibus solis. Non dubito, in Hispaniae quoque Regno Ptolemaeum fuisse excusum; sed distantia illius a nostra Germania impedit, quo minus libri exinde ad nostras terras aduehantur. Sufficiat igitur paucissima saltem nosse, reliqua autem aliis, tamquam Spicilegium, relinquere.

§. 5.

B. Fabricius quidem l. c. allegat *Stobnizae* et *Dryandri* labores, ex quo colligi posset, in Polonicam quoque linguam Ptolemaeum fuisse translatum. Sed, quantum ex titulo, a Fabricio allegato, perspicio; Introductiones potius, quam uersionem eos uoluisse scribere puto. Quod si autem contrarium mihi eruditi Bibliophili probauerint, lubentissime in partes eorum ibo. Sic etiam non satis firmiter persuasus sum, in idioma *Germanicum* Ptol. Geographiam esse conuersam. Quamuis enim in Catalogo *Bibl. Pfeiferianae Brunsvigae* 1735. uenditae pag. 17. n. 503. inter libros primi ordinis occurrat *Ptolemaei Geographia Germanica*, s. anno et loco impressionis addito; tamen facile credo, praeter alia menda, quae irrepserunt in eum Catalogum, etiam in indicando hoc libro errasse auctorem Catalogi, et forte Munsteri Cosmographiam pro Ptolemaei libro uenditasse. Num *Ptolemaeus Persice, cum figuris minio accurate notatis*, qui inter *MSta* ABRAHAMI HINCKELMANNI n. 72. fuit uersionem Geographiae, aut alius Libri huius auctoris contineat, ii dispicient, ad quorum manus Codices isti peruenerunt.



CA-

# CAPVT X.

## DE COMMENTATORIBVS IN PTOLEMAEI GEOGRAPHIAM.

§. 1.

QVamuis Ptolemaeus prae aliis Scriptoribus ſit perſpicuus, tradens facili methodo notitiam uniuerſi orbis, aeuo ſuo cogniti; at tamen, aut uitio librariorum, aut Typographorum, plurima locorum nomina adeo fuerunt deprauata, ut uix ullum uerae denominationis ueſtigium appareat. Praeterea quoque ipſi Ptolemaeo, qui plurima ex aliorum relatione accepit, non ſemper uera, ceu nonnulli putant, fuerunt indicata. Nihil iam dicam, de Veritatibus ex Matheſi petitis, in primo libro occurrentibus; hae enim ſunt iis perſpicuae, qui Hiſtorica cognitione ſunt contenti: quod ſi autem alii, demonſtrationibus ſolidioribus aſſueti, ea legent, multa certe inuenient, quae ſine ulla demonſtratione haud admittere poſſe uidentur. Varii hinc eruditi certatim de illuſtrando Ptolemaeo laborarunt, quorum Commentarios, occaſione uariarum editionum, ex parte recenſui. Nunc autem placet, ordine Chronologico eos enumerare; quidque ſinguli praeſtiterint, aut meis, aut aliorum uerbis referre.

§. 2.

Omnium antiquiſſimus, qui Ptolemaei Geographiam explicuere, eſt NICOLAVS DONIS, *Monachus Ordinis D. Benedicti*, florens ſub finem ſeculi XV. Cum uero de eius meritis in Ptolemaeum ſupra C. IV. §. 6. ſeq. pluribus expoſuerim, nolo ibi dicta repetere. Ad IOHANNEM REGIOMONTANVM potius progredior, Seculo XV. exeunte clarum, qui annotationes perbreues in Librum I. conſcripſit; has diu poſt eius obitum, blattis et tineis ereptas, PIRCKHEIMERVS Argentorati 1525. euulgari curauit, uid. DOPPELMAYERVS l. c. p. 18. not. *b*. Interim, cum Io. WERNERVS, ſub initium Seculi XVI. eas pro deperditis habuiſſet, ipſe eidem Libro I. illuſtrando manum admouit, et ſatis amplum concinnauit Commentarium, ab Appiano et aliis approbatum, ac laudatum. BILIBALDVS tamen PIRCKHEYMERVS in eo multa ſibi deprehendiſſe uiſus eſt, quae calculum ſuum haud promeruerint. Adduxi illius uerba CAP. VII. § 7. Cum igitur

tur tantus Vir, qui WERNERVM fouit eique fauit, non adeo bene de illius labore ſentiat, neceſſe eſt, eum quidem ob induſtriam non laude ſua eſſe fruſtrandum, nimis tamen non extollendum.

§. 3.

Hunc excepit, aut potius praeiuit IOHANNES STOEFLERVS, Iuſtingenſis, qui magno cum applauſu Matheſin Tubingae Seculo XVI. ineunte docuit. Hic enim, uti S. R. HAVBERVS, in *Hiſt. Tabul. Geogr. Sueuiae* p. 3. not. b. refert uerbis SCHIKARDI, *reliquit Commentaria in Geographiae Ptolemaei Libros II. priores usque ad Caput, de Magna Germania:* quae hodienum in Bibl. Acad. Tubingenſis extant, nunquam autem edita ſunt; quamuis Schradinus ea edenda promiſerit. Circa idem fere tempus IACOBVS ZIEGLERVS, *Landauio-Bauarus*, uariis ſcriptis clarus, quae SIMLERVS et FRISIVS in *Continuat. Bibl. Geſneri* p. 388. recenſent, conſcripſit uaria annotata in Geogr. Ptolemaei, tempore Geſneri nondum euulgata. Conf. *eiusd. Partit. Vniuerſ.* L. XI. Tit. I. p. 110. b. quibus tamen GERH. MERCATOR uſus fuiſſe cenſetur, cum in *Catalogo auctorum*, ex quibus Synoyma ſuae editioni inſerta depromſit, IACOBI ZIEGLERI nomen legatur.

1532
1535

§. 4.

MICHAELIS SERVETI laborem, in illuſtrando Ptolemaeo adhibitum, in hunc numerum referendum eſſe, cenſeo: ſiquidem is Munſtero in Praef. Anni 1540. explicuiſſe retruſa dicitur. Ipſe etiam MVNSTERVS fatetur de labore a ſe praeſtito, quod pauca de ſuo adiecerit, quae ad intelligendum Ptolemaeum faciunt, reliqua autem ex Wernero et aliis deſumſerit, imprimis ex Stoeflero, uti HAVBERVS loco ſupra citato coniicit. Sic quoque RVSCELLI, MOLETII, MAGINI aliorumque opera non ſunt contemnenda, plurimum ad intelligendum Ptolemaeum facientia: imo et eorum, qui nonnulla Ptolemaei loca et capita ſaltem illuſtrarunt: quales REINERVS REINECCIVS, in *Comment. de Saxonum origine. Hannov.* 1612. in 4. et CONRINGIVS ad *Libellum Taciti de moribus Germanorum Helmſt.* 1652. in 4. excuſ. cui Capita XI.—XIV. ex Libro II. Ptolemaei, de magna Germania, Rhaetia, Vindelicia et Norico addita et illuſtrata ſunt. Nec minus ISAACVS VOSSIVS in *Not. ad Scylacis Periplum* Amſtelod. 1639. 4to. editum, BOCHARTVS in *Geographia* S. SPANHEMIVS in *Hiſtoria* ſua plura Ptolemaei loca emendauerunt, lucemque illis affuderunt.

§. 5. Prae-

§. 5.

Praeter autem hucusque recensitos auctores *Francisci Berlinghieri opus* mihi commemorandum uenit: cuius antiquissimam editionem, omni indicio typographi, anni et loci impressionis, destitutam Maittaire T. I. *Annal. Typogr.* P. II. p. 757. allegat his uerbis: *Geographia di Francesco Berlinghieri, Fiorentino, in terza rima et lingua Toscana distincta, con le sue tavole, in uarii siti e prouincie, seconda la Geographia et distinctione de le tavole di Ptolemeo: alla illustrissimo Federico, Duca di Vrbino, impressa in Firenze, per Nicolo Tedescho, et emendato con summa diligenza dello autore, fol. Firenze.* Rarissimis hanc editionem esse accensendam nemo dubitabit, qui saltem aliqualem librorum habet notitiam: partim, quoniam omni impressionis indicio est destituta, partim uero, quod in nullo librorum antiquorum, Seculo XV. impressorum Catalogo, quorum plures euolui, mentio illius occurrit. Plura proinde digna sunt in medium proferre, de hoc auctore, eiusque opere. Cum uero impressum Exemplar ad manus meas non peruenerit, B. L. suppeditabo descriptionem Codicis Manu exarati, eundem Berlinghieri laborem comprehendentis, quem Excellentissimvs et Illvtrissimvs Comes Pertvsatti possidet, et rarioribus Thesauri svi librarii, ab auctoribus *Memorabilium Viennensium, mens. Ian.* p. 45. laudati annumerat. Scriptus est iste in membrana formae regalis, constatque foliis CXXVIII. praeter XXVIII. tabulas Geogr. Prima Codicis pagina exhibet Praefationem uersibus Italicis, per duas columnas, uti uocant, diuisis, conscriptam; quae sic incipit:

Gia l'auriga di Titano addorno
el sagictario urtava orientale,
di fiamme accesso charregrando el giorno etc.

Prima litera G. uariis coloribus picta, repraesentat Virum Iuvenem, super scamno in Museo sedentem, ueste talari rubea indutum, impositaque capiti mitra, pariter rubra. Ipse libro iacenti super pulpeto, quadrangulari figurae imposito, quaedam manu quasi inscribit. Praeter hanc figuram aliae adhuc in eodem folio uidentur; quarum prima oblonga sistit uirum sedentem super sella, amictum nigra ueste, cui superinduta alia rubea, manicis destituta, et quoad limbos inferiores albicante pelle obducta. Assidet ille mensae, super qua Tabula Geographica, nonnihil reclinata, posita, in qua pingere uidetur. Altera

 figura,

figura, itidem oblonga, rurſus exhibet Virum, ſimili modo ueſtitum, ſtantemque coram globo terraqueo, baſi ſuperimpoſito, quem altera quaſi manu tangit. Ab hac non multum differt figura tertia, utpote quae uirum, eadem plane cum ſecundo ueſte, amictum repraeſentat. Inter utraque Praefationis ſpatia numus conſpicitur aureus, in quo imago iuuenis, facie ad ſiniſtram conuerſa, crinibus capitis bene pexis. Ramus arboris numo eſt adiectus, uariis refertus floribus: cum Epigraphe literis Gothicis conſignata: Le tems revient: infra autem numum ſcutum eſt collocatum, Regis Galliarum exhibens inſignia, et paulo inferius alius minoris moduli numus, repraeſentans imaginem iuuenis, facie pariter ad ſiniſtram conuerſa, adiacente ramo, eadem cum ſuperiore inſcriptione inſignito. Exterior margo oſtendit binos Viros, talaribus indutos Veſtibus rubris, qui arbori ad radices montis collocatae adſident, inuicem quaſi ſermocinantes; e longinquo uero apparet urbs ſatis ampla. Paulo inferius duo viri ſedentes conſpiciuntur; quorum unius in altum proſpicientis caput mitra tegitur, minio tincta, dextra fronti admota, ad ſolis radios quaſi auertendos, et aciem oculorum augendam. In nubibus ſedet ſenex, ueſtitu uiridi, cuius collare rubeo colore tinctum, crinibus fuſcis, quos tegit coerulea mitra, quoad oras candido colore obducta. Geſtat hic in manibus librum apertum, viroſque inferius ſedentes intuetur. In infima huius marginis parte tres modo deſcripti Viri ſimul ſuper nubibus ſedentes conſpiciuntur, ſene medium locum occupante. Notandum inſuper ſcutum in cuſpidem deſinens, orbique cuidam incluſum, in inferiore margine conſpicuo; ad cuius latera bina ſunt collocata, ſic dicta, Cornua Copiae. In uarias id eſſe areolas diſſectum, colorum ueſtigia produnt; quarum tamen figurae haud amplius dignoſci poſſunt, praeter quaedam lilia, in una ſcuti areola. Haec inſignia fidem mihi faciunt, eſſe hoc ipſum Autographum, a Berlinghierio ipſi *Vrbinatium Duci* oblatam.

§. 6.

Praefationem ſequitur textus, in cuius ſcriptura adhibitum atramentum, intermixtis uocibus principalioribus, inprimis titulis librorum et capitum, coeruleo et rubeo colore tinctis. Quantum ex indice omnium librorum et capitum, ibidem deſcripto coniicere licet, Berlinghierus non in omnibus Ptolemaei ueſtigia ſequitur; ſed uaria potius inſpergit Capita, quorum pertractationem Geographiae ſtudioſis utilem eſſe putauit. Notatu dignum eſt, quod, cum integer textus

Car-

Carmine Etruſco ſit conſcriptus , in cuiusuis tamen Libri initio haec formula latina compareat, *feliciter incipit*, uti in fine alia, *explicit feliciter*. Tabulae XXVIII. textui ſunt ſubiunctae, in membrana elegantiſſime uariis coloribus pictae; ſic maria indicat color coeruleus et ruber, montes fuſcus, locorum nomina rubeus, coeruleus, aut ater. Egregium uoco hunc codicem, et non parui aeſtimandum, cum praeter unicam editionem, ſupra adductam, nunquam impreſſum hunc librum commemorari uideam, quamuis ſaepius eum typis exſcriptum eſſe coniiciam. Dedit uitam BERLINGHIERII noſtri, R. P. IVLIVS NEGRI in *Iſtoria degli Scrittori Fiorentini* p. 185. qui plures allegat. Vixit BERLINGHIERIVS circa annum M CCCC LXXX. ſub Pontificatu SIXTI IV. et ab ore pependit MARSILII FICINI, qui in *Epiſtola* ad MARTINVM VRANIVM, *Libro II. Epiſtolarum* MARSILII FICINI inſerta, eum *inter ſelectos numerauit diſcipulos*. Poëſeos et Geographiae ſtudio quam maxime ſe dedit. Quantos autem in utroque fecerit progreſſus hoc opus teſtatur, elegantiſſimo Carmine Etruſco conſcriptum; in quo non ſolum imitatus eſt Ptolemaeum, ſed et multis in locis illuſtrauit. Vid. GESNERI *Partit. Vniuerſ.* L. XI. Tit. I. pag. 109. b.

§. 7.

Neſcio, an hoc quoque referendus ſit, labor PAVLI DECANALIS; Is enim, uti ex PIERIO de *Infelicitate literatorum* p. 49. refert ALMELOVENIVS in *Bibliotheca promiſſa et latente* p. 16. multa congeſſit in Ptolemaei Geographiam, quae, ſanguinis ſputo, ex nimiis uigiliis exorto, impeditus, abſoluere nequiuit. Similiter Menſo Altingius Ptolemaeum noſtrum illuſtrare tentauit, quem laborem S. R. HAVBERVS in *Diſcurſu de praeſenti Geographiae ſtatu*, §. 36. p. 162. poſt mortem RELANDI periiſſe putat. RVDOLPHVS a SALICIBVS Indicem in Ptolemaei Geographiam compoſuiſſe dicitur GESNERO in *Partit. Vniuerſ.* l. c. Sed cum haec aliaque opuſcula uel plane imperfecta, uel a multis neglecta, iniuria temporum perierint, Moletii et Magini laboribus contenti ſimus, neceſſe eſt; donec Vir, ſufficienti Matheſeos et Graecae Linguae cognitione inſtructus, emendando et illuſtrando Ptolemaeo, inſudet.

# CAPVT XI.

## DE INSIGNIORIBVS VARIATIONIBVS TABVLARVM GEOGRAPHICARVM AD PTOLEMAEI MENTEM DELINEATARVM.

§. 1.

Non iam animus eſt mihi, ab origine repetere Hiſtoriam Tabularum Geographicarum Vniuerſalem; ſiquidem id ex parte praeſtitit S. R. Dn. Havbervs, in *Epitome Hiſtoriae Tabularum Geographicarum* Vlmae 1724. in 8. editae, cuius ſupplementa 1727. dedit, diſcurſui, de praeſenti Geographiae ſtatu, ſubiuncta. Sed optandum, ut uel ipſe Dn. Havbervs, uel alius, ſecundum hanc Sciagraphiam, plenum et perfectum opus elaboraret. Nec etiam exſcribam Gesnervm, qui in *Partitionibus Vniuerſalibus*, L. XI. Tit. III. p. 111. nonnullas Veterum et recentiorum tabulas recenſet; neque Fabricivm, qui in *Bibliograph. Antiquar.* C. V. §. 9. p. 136. ſeq. pauca hac de re tradit. Sed, cum Tabulae, plerisque Geographiae Ptolemaei editionibus adiectae, teſtante ipſo Havbero, in *Epitome cit.* p. 12. et 16. fundamentum ſint omnium, quas hodie habemus, Tabularum Geographicarum; operae pretium eſſe duco, uariationes inſigniores, in illis obuias, paulo fuſius recenſere.

§. 2.

Repetere iam nolo, ea quae ſupra C. I. §. 7. et C. IV. §. 7. tradidi, tabulas ſcil. ab ipſo *Agathodaemone* delineatas, nunquam fuiſſe editas, ſiquidem iis Graeca fuerunt inſcripta locorum nomina. Superſunt quidem eae niſi in omnibus, tamen in plurimis, quos Cap. II. deſcripſi, Codicibus; et ipſe Hamburgi earum uidi ſpecimen, in Bibliotheca b. Fabricii, in fragmento, ex Codice quodam MSto. Geographiae Ptolemaei, deſumto, et forte Seculo XI. ſcripto, quod Italiam repraeſentat; hocque indigitare puto laudatum Fabricivm, *Bibliograph. Antiq.* C. V. §. 9. pag. 137. ſed, quod dolendum, nemo hucusque iis, ſine ulla uerſione aut emendatione, euulgandis, operam ſuam impendit, cum tamen exinde accuratius, de Ptolemaei et Agathodaemonis laboribus inter ſe collatis, ferri poſſet iudicium

cium. Omnes enim, quae hodie habentur Tabulae, etiam antiquissimis Geographiae Ptolemaei exemplaribus impressis adiectae, NICOLAVM DONIS auctorem habent: qui Graeca Nomina latine reddidit, et forte multa ex sua mente correxit, aut adiecit.

§. 3.

Sed neque ipsae NICOLAI DONIS Tabulae in prioribus et antiquioribus editionibus semper conueniunt; id quod instituta earum docet collatio. Quae Romanae et Vlmensibus editionibus deprehenduntur adiectae, eas plerumque in sequentibus sunt secutae: donec in *Veneta* de Anno 1511., in *Lugdunensi Villanouani*, et *Basileensibus Munsteri*, nonnullae fuerint correctae, inprimis quae Europam repraesentant. Loquor autem hic de Tabulis, antiquam Geographiam concernentibus; quas enim ESLERVS, MÜNSTERVS aliique nouiter adiecerunt, lubens praetermitto. Alias enim huc referendum esset *Descriptionis Ptolemaicae augmentum*, *a* CORNELIO WYTFLIET, *Louaniensi*, 1589. editum; similiter et HARTMANNI AB EPHINGEN *Cosmographia, dans manuductionem in Tabulas Ptolemaei*, *s. l. et a.* in 4. impressa; quae tamen omni studio omitto. GERARDVS MERCATOR *Coloniae* 1578. in fol. prodire iussit Tabulas XXVII. Geographicas, ad mentem Ptolemaei restitutas: quorum Exemplar uidi in Bibliotheca GODOFREDI THOMASII, Medici celeberrimi; sine tamen ullo addito Textu, quem sequenti demum anno, ut supra docui, excudi fecit. In Catalogo Librorum Petri Francii mentio fit editionis Tabularum Geograph. Ptolemaei *Franeckerae* 1695. in fol. euulgatae; ipse quoque in Bibliotheca celeb. SCHWARZII, Patroni ac Praeceptoris pia mente colendi, uidi aliud earum exemplum, 1698. excusum, quod *Traiecti ad Rhenum Franciscus Halma*, *Guilielmus van de Water*; *Franeckerae* autem *Leonardus Strick* rursus inprimi curarunt; quod idem forte cum exemplari Franciano, ita ut Index saltem, tabulis praemissus, diuersum exhibeat annum. Vtrumque autem conuenire uidetur cum iisdem tabulis, quae editioni *Graeco Latinae* de Anno 1605. erant subiunctae; ita tamen, ut prius erasae fuerint figurae, ornatus causa additae, nouaeque adiectae. Ceterum memini me ante decem, aut plures annos audiuisse de exemplo harum Tabularum, ex eodem forte Archetypo rursus impressarum, addito copiosissimo indice locorum in tabulis occurrentium: quod autem inspicere et perlustrare mihi non contigit.

CA-

# CAPVT XII.
## DE EDITIONIBVS PROMISSIS GEOGRAPHIAE PTOLEMAEI.

§. I.

PAuca adhuc restant, de editionibus, quas Viri eruditi euulgandas promiserunt, dicenda, quae breuibus absoluam. Inter eos occurrit omnium primus PETRVS APIANVS, qui in *Practica Anni* MDXXXII in honorem *Serenissimorum Principum* WILHELMI ET LVDOVICI, *Comitum Palatinorum Rheni*, *Landshuti* MDXXXI. die 23. Nouemb. absoluta, et impressa per *Georgium Apianum*, sub finem Libri II. promisit editionem Graeco-Latinam, suis curis in lucem publicam mittendam. Adscribam eius uerba: Wiewohl ich auch viel andere Bücher unter den Händen habe, und in Druck verordne aufs baldeste, als die Cosmographey Ptolemaei, in Griechischer Sprach, darneben die neue Translation, die der hochberühmte Bilibaldus Bürckhaimer jetzt zum andern mahl transferirt, und nach ihm verlassen hat, mit einer neuen Art der Tafeln, so Johannes Küngsperger gebessert hat, etc. Imo, nisi me omnia fallunt, me legisse uel audiuisse recordor, ipsum Apianum Priuilegium Caesareum iam tunc impetrasse, qua eum librum imprimendi facultas illi fuit data. Sed nunquam editio haec lucem aspexit publicam; et forte etiam noua *Pirckheymeri* uersio, si ea fuit ad finem perducta, cum morte *Apiani* interiit. Ipse quoque PIRCKHEYMERVS, in Epistola Nuncupatoria, praefixa Libello, qui inscribitur, *Germaniae ex Scriptoribus antiquis perbreuis explicatio*, Norimb. 1530. in 8. impresso, sic scribit: *Nos Ptolemaei Librum primum*, tam Graece quam Latine *breui dabimus*; *inde et reliquos*, *adiunctis tabulis*, *si diuina concesserit bonitas*, *cum plerisque aliis*, *ad Geographiae cognitionem non minus necessariis*, *quam iucundis*, *etc.* Num autem haec, quae Pirckheymerus animo conceperat, ab eo fuerint exsequuta, ii dispiciant, qui pleniorem et magis accuratam scriptorum tanti Viri habent cognitionem. Ipse Conr. Ritterhusius in Comment. de Vita Pirckheymeri, praefixo eius operibus Francof. 1610. in fol. editis, p. 14. post recensita illius in Ptolemaeum merita, dicit *plura eum fuisse praestare paratum*

*tum in hoc auctore, si DEVS Vitam ipsi concessisset longiorem*: quo ipso, inchoatam a Pirckheymero Versionem non plene fuisse elaboratam, mihi uidetur fateri.

§ 2.

ISAACVS VOSSIVS, magni GERHARDI IOHANNIS filius, in notis ad *Pomponium Melam* p. 72. 77. et alibi, promisit quoque emendatam huius libri editionem; quae tamen nunquam in lucem prodiit: neque etiam, ut arbitror, quicquam inter reliquias Bibliothecae Vossianae, fuit repertum, alias enim in lucem iam fuisset protractum, aut ab aliis Viris eruditis citatum. Sic quoque EDVARDVS BERNARDVS XIII. Volumini, *Corporis Scriptorum veterum Mathematicorum*, suis curis edendi in XIV. Voluminibus, inserere noluit *Geographiam Graecam Ptolemaei*: de qua re conf. b. FABRICII *Bibl. Graec.* L. III. C. 23. Idem FABRICIVS l. c. L. IV. C. XIV. p. 415. expectare iubet eruditos Graecam huius auctoris editionem, a V. C. IACOBO GRONOVIO; quorum omnium tamen labor intra conatus saltem perstitit. Quod si igitur quidam eruditus Ptolemaeum Ptolemaeo restitueret, et ope codicum MStorum, aut aliorum auctorum antiquorum emendaret, non solum ignorantiae et leuitatis maculam a Ptolemaeo abstergeret, sed et auctoris famam contra quosuis obtrectatores augeret.


§. 3.

Colophonem huic opusculo imponerem; nisi adhuc restarent dicenda, quae eo tempore, quo operas typographorum libellus hic fatigabat, aut ipsi mihi in mentem uenerunt, aut ab aliis Viris eruditis, quibus forte legendum eum obtuleram, fuerunt annotata. Inter autem haec primo loco ponam ad CAP. I. §. 2. referendam delineationem PTOLEMAEI, ope instrumenti cuiusdam optici, uti uidetur, uel ope Dioptra, ut alii putant, coelum contemplantis; quam Reu. MABILLONIVS, ex Codice Monasterii *Schirensis*, Seculo XIII. a Conrado Philosopho scripto, et picturis exornato, desumtam, *Itineri* suo *Germanico* inseri curauit, quamque etiam editioni eius *Hamburgi* 1717. cura b. I. A. FABRICII recusae, praefixam haberi uideo. Etsi enim laudatus modo MABILLONIVS p. 54. edit. cit. fidem Codicis testetur; uix tamen ullus sibi persuaderi patietur, Seculo iam secundo tubos opticos fuisse cognitos; utpote qui recentioris demum aeui fuere inuentum; multo potius CONRADVM, uel recentiorem adhuc Monachum, pro ratione uestium et instrumentorum sui aeui talem figuram, quae nihil praeter nomen adscriptum cum Ptolemaeo, ipso

communne habuerit, pinxisse censeo. Ceterum uideatur de hac Icone, et instrumento optico, G. C. IOHANNIS in *Praefat.* iteratae, *Chronici Schirrensis*, a CONRADO PHILOSOPHO conscripti, editioni *Argentorati* MDCCXVI. in 4. excusae praemissa: quam beneuole, praeter alios optimae notae libros, mecum communicauit *Magnif. et Consultiss.* RINCKIVS, Vir eruditione et meritis celeberrimus.

§. 4.

Deinde et hoc Cap. III. §. 4. p 23. dictis subiungendum uidetur, quod figura exhibita in membrana illa, quae Ptolemaei temporibus coaeua creditur, accurate conueniat, cum alia, quae margini Almagesti Ptolemaici latine editi Venet. MDXV. in fol. *Dict.* V. *Cap.* V. p. 49. 50 est adiecta: ut adeo coniectura b. SAVBERTI supra allegata, et forte etiam aliorum ante eius tempora, non omni destituatur fundamento; dummodo minores literarum ductus non obstarent. Tabula illa aenea, quae libelli huius Cap. II. §. 3. habetur adiecta, exhibet quidem PTOLEMAEI effigiem, ac reliquas figuras, ea, qua in Codice egregio Veneto pictae sunt, proportione: sed ipsa Charta, cui figurae hae sunt impressae, formam Codicis, non adaequat. quae longe ab ista discrepans, formam, quam uulgo dicunt regalem, superat. Ad Cap. VII §. 2. monendum, editionis ibidem memoratae exemplar, manu ISAACI VOSSII in margine emendatum *Lugduni Batauorum* in *Bibliotheca Academica* extare, testante *Catalogo* p. 200. Denique et hoc notandum, quod IACOBVS ANGELVS primus uersionis latinae *Geogr. Ptol.* auctor, et ANGELVS VADIVS qui Correctoris munere, in excudenda editione *Vicentina*, Cap. VI. §. 4. p. 42. memorata, functus fuit, pro diuersis sint habendi: siquidem diuerso floruerunt tempore. Ceterum B. L. rogo, uelit Sphalmata Typographica. quae Correctoris industriam effugerunt, quaeque uerborum sensum interdum obscurum reddunt, pro sua humanitate emendare.




COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
0038096072



